VEXATISSIMVM NOSTRA AETATE, DE INSITIONE VARIOLARVM, VEL ADMITTENDA, VEL REPVDIANDA, ARGVMENTVM,

OCCASIONE QVAESTIONVM
AB ILLVSTRISSIMO VIRO
ANTONIO DE HAËN,
S. C. R. A. MAIESTATIS CONSILIARIO ET ARCHIATRO,
MEDICINAE IN ACADEMIA VINDOBONENSI
PROFESSORE PRIMARIO, SOCIETATIS SCIENTIAR.
HAARLEMENSIS, ET PHYSICO - BOTANICAE
FLORENTINAE MEMBRO,
SIBI PROPOSITARVM,
ABIECTO OMNI PARTIVM STVDIO,
CVRATIVS EVOLVTVM, ET EXPENSVM
A
BALTHASARO LVDOVICO TRALLES,
MED. VRATISL.
ACADEMIARVM CAESAR. NAT. CVR. ADIVNCTO, ET ELECT.
BOICAE SCIENTIARVM SOCIO.

Dr. Brawe. Goettingae 1770.

ADDITVR BREVIS DISQVISITIO,
DE VSV MISSIONIS SANGVINIS, ET OPII,
IN SECVNDA VARIOLARVM FEBRE.

VRATISLAVIAE
SVMPTIBVS IOANNIS ERNESTI MEYERI.
1765.



ILLVSTRISSIMO VIRO

ANTONIO DE HAËN

BALTHASAR LVDOVICVS

TRALLES

S.



In aestimabili beneficio me adfecisti, VIR ILLVSTRISSIME, quod, postquam apologeticam meam epistolam ad Te transmisissem, responsionem momentosis rebus refertissimam, ad me scribere haud dedignatus sis. Opinabar primo adspectu, licet, veneratione magni Tui nominis nequaquam exuta, coram Te Iudice mihi selecto com-

paruiſſem, Te ſerio, et ſignificantius, et neruoſius, mecum acturum. Sed lectulo per aliquot hebdomadas detento, quem me petere iuſſerat arthritica febris, (aliis deinde pluribus, grauibusque malis excepta,) et viribus omnibus fracto, ſolamini incredibili fuit ſcriptionis tuae methodus, nil fere niſi beneuolentiam, humanitatem, et amicitiam complectens. Siſte vero et me, enixe precor, Tibi hominem humanum, et conſtanter crede, nunquam me monitoribus aſperum, et correctionis impatientem exſtitiſſe, licet, ſi intimo meo ſenſu innocens fuerim, et ab interno iudicio abſoluar, iniuſta, et iniqua, paulo difficilius digeram. Multis vicibus meliora edoctus, mutaui ſententias antea animo haerentes, in Academiis ab Helmontianis, et Stahlianis principiis, ad HOFFMANNVM meum deductus, deinde Boerhaauianis dogmatibus proprio ſtudio innutritus. Atque praxin clinicam, vltra mediocrem euectam, exercens per 32 annos, multa praeiudicia in arte, pro veritatibus inconcuſſis antea habita, lubens depoſui, quan-

quando experientia et ratione viam monſtrante, falſitatem et fucum, qui mihi impoſuerat, detexi. An igitur, quae longe a me abeſt, inani ſuperbia turgidus, ignominioſum aut ſaltem alienum a ſtudiis meis reputarem, circa hodiernam feruidiore zelo agitatam de Inoculatione, vel admittenda, vel omittenda controuerſiam, a *Te* etiam erudiri, qui adeo laudabile et proficuum habeo, in tot aliis ad ſalutem aegrorum facientibus, Tua veſtigia premere? Verum meam, *Tui*, Viri prorſus eximii, et a me adeo magni facti *criminationem*, quam mihi exprobras, quamque ego innocentiſſimus prorſus ignoro, non ſine ſumma mentis aegritudine fero. Crede mihi PRAESTANTISSIME HAËNI, alienus licet ab Inoculatione variolarum, tot, mihi morbum hunc in teneriore pueritia iam perpeſſo, dolentiſſimas et ardentiſſimas puſtulas inſeuiſti, quot vicibus duram hanc vocem in reſponſione *Tua* offendi, quae certe ſummam mihi, cruciatibus arthriticis et febrilibus inſultubus nunc emaciato, moleſtiam creaſſent, niſi vt es

 erga



erga me benignus, et facilis, paregorica pharmaca, quae in curatione amas, liberali manu adiecisses. Nondum demeministi forte, quam acerbe doluerit *Illustrissimus* de HALLER, cum *famosi* vocabulum nomini ipsius apposuisses. *Tu* deinde id μέσον esse, et in bonam malamue partem flecti posse, comprobare ipsi sategisti. Nulla vero doctrina Tua efficies, vt alium, quam sinistrum significatum, *Criminationis* voci ab omni aeuo proprium et naturalem fuisse, conuincar. Si vna vice calamo excidisset, nullus angerer; sed amabo! multus et nimius es in eius vsurpatione. Quando praestantissimos Lexicographos, molliorem valorem in Tui, et mei gratiam, quaesiturus, euoluo, *criminationem* non nisi eundem habere video, ac maledicentiam, calumniam, linguae morsum, facundiam caninam, *criminari*que idem esse, ac mordere aliquem clanculum, calumniis operire, conuitiis proscindere, contumeliose absenti dicere, etc. etc. Latinissimo *Ciceroni*, et *Suetonio*, libellus *famosus*, et *criminosus*, pari passu ambulant.

bulant. Apud priorem phraſes lego: *Quod beneuolentia fit, id odio factum criminaris. pro S. R. XIII. Venenum paraſſe Coelium criminatur. pro Coelio XXIII. inuidioſe potentiam alicuius criminari. pro Milone.* Noli exiſtimare LITTERATISSIME HAËNI, oro Te peramanter, (noui quippe quid ILLVSTRISSIMO HALLERO circa idem argumentum regeſſeris,) ac ſi romani ſermonis peritiam Tua maiorem affectarem; des ſaltem, verba noſtra eſſe ſigna noſtrorum cogitatorum, atque ſecundum vniuerſalem acceptionem, ſenſum eorum diiudicari. Apologia ergo mea, adeo comiter, ſine vllo ſale et felle, (cuius me puderet et poeniteret, ſi vel tantillum eius in vnica vocula, vel ſyllaba a me profecta, inuenirem) ad Te exarata, qua innocentiam meam peroraui, prorſus illaeſa morum elegantia, et *criminatio iniqua*, non poſſunt eſſe Synonyma. Male audirem ſine mea culpa, omnibus Bonis, ſi haud viſa antea mea epiſtola apologetica, in *Tua* reſponſione *criminationem* inuenirent, longeque alium ſtylum

meum ſibi imaginarentur. Gaudeo interim, et conuincor, mentem Tibi ſiniſtram haud fuiſſe potuiſſe; dum enim (p. 62.) breue reſponſum paras ad meam ſic dictam *Criminationem*, *amice me Tecum expoſtulare* dicis, et alibi (p. 67.) de *amica mea exprobratione* verba facis, quibus tamen vocibus, et adhuc a mente mea alienis, amicam exculpationem, et humanam defenſionem, ſubſtitutam mallem.

  

Quod vero doctiſſimi Tui Schediasmatis mihi dicati, praecipuum obiectum Variolarum Inoculationem ſelegeris, atque exquiſita et concinna breuitate, ad Quaeſtiones X a Te motas, reſponſionem ad me perſcripſeris, mihique generoſe permiſeris, vt quae in illa videam reprehendenda, ſummo iure reprehendam, candide haud negatis, vere non negandis, id quidem valde honorificum habeo, gratiasque Tibi ea propter decentes refero. Verum oblitus es, VIR ILLVSTRISSIME, omnia haec ad Celeberrimos Tuos Antagoniſtas, et *Clariſſi-*

mum

mum TISSOTVM praecipue pertinere, non ad me. Plus ſimplici enim vice monui, quando nullae Experientiae, vel aientes, vel negantes, Inoculationis intuitu Vratislauiae, et quantum noui, in tota Sileſia dantur, Incolis fere omnibus adhuc dubiis, et vacillantibus, (olim Praeſide Curiae ſummae, nunc Miniſtro in Aula Berolinenſi d. M. excepto, qui mihi, ob teneriorem aetatem aliter ſentienti, filiolum ſuum, nondum maturum Operationi, vltro offerebat), nemo Medicorum Sileſiorum, ſine vanitate deciſiuam ſententiam, vel pro Inoculatione, vel contra eam militantem, ferre aptus eſt. Ad arduum quippe hoc negotium experientiis ſaepe repetitis, et teſte ſaepius oculato, abſolute opus ſit, aut notitia ſaltem de ſucceſſu rerum multa, firma, et indubia, a teſtibus idoneis ſuppeditata. Cum extra ſphaeram meae ſcientiae exſpatiari nunquam audeam, calculo meo Inoculationi adiecto, *libro meo de Opio* a), peculiarem commendationem eius haud adieciſſem b), niſi a Temetipſo quaſi fuiſſem prouocatus. Scilicet non diffiteberis

a) *Sect. II.*

b) *de methodo medendi variolis inſufficiente.*

fiteberis VIR MAGNIFICE, Te plus ſimplici vice, de induſtria, et ex inſtituto, aſſeruiſſe, Variolarum in genere medelam non adeo eſſe difficilem, artis ſuae rite gnaris, vt vulgo putatur. Non certe in eum ſaltem finem, vt monſtres falſum eſſe, Variolis naturalibus ſeptimum mori, memoras a) aegros tuos 220. Hagae Batauorum ſanatos, ex quibus vnicus ſaltem periit, ſed et vt ſimul artis Tuae potentiam eueheres. Addis namque b), Te vidiſſe pauciſſimos admodum, a Variolis in Hollandia mori, cura Medicorum optima methodo vtentium, idemque Te obſeruare Viennae, ſub bonorum Medicorum cura. Non aliter *in Theſibus de febribus* c) omnem benignitatem Variolarum et ſalutem pendere ab Obſeruatione praeceptorum SYDENHAMI et BOERHAAVII, malignitatem et mortem, ab infortunata curandi methodo, affirmas. Idem repetis *in Vindiciis* ILL. HALLERI Apologiae oppoſitis d). Taceo iam *Refutationem Inoculationis* contra egregium TISSOTVM, vbi prorſus talia plus ſimplici vice adfers, de

a) *in quaeſtionibus ſuper methodo inoculandi Variolas p. 32. ſeq.*

b) *p. 34.*

c) *p. 102.*

d) *p. 21. 22.*

de quibus alibi mitius ſentis, *Tom. IV. Rat. Med. p. 2.* vbi ſaltem variolarum, ſymptomatum numero, ac ſaeuitie, omni artis operae reſiſtentium, mentionem iniicis, et iam demum in *Reſponſione ad meam Epiſtolam* a) concedis, dari Epidemias, quae ſolito plures aegros iugulent, et vt pauperum Tuguriis, ita et Palatiis Principum haud parcant. Confeſſus iam alibi ſum ingenue, me, licet *Sydenhamianae* et *Boerhaauianae* methodi ſtudioſiſſimum, ea felicitate haud beatum fuiſſe, vt ex 220. non niſi vnum amitterem. Prorſus conuictus ſum, rectiſſime et veriſſime ſcripſiſſe Cl. FÜRSTENAV, (*deſider. med. p. 249. 250.*) *pluribus medendi methodis laudatis non obſtantibus, plurimos* (dicam ego multos) *variolis iugulari, ſummae pariter ac infimae conditionis, et cuiusuis aetatis homines, quando epidemice graſſantur.* Atque adeo Viennae ſuperiore anno magnum hominum numerum Variolis deceſſiſſe, lego apud Cl. *Welſchium in praef. p. 51.* In diſcretis adeo, et cohaerentibus non certam ſemper ſalutem conſecutus ſum. Memini

a) pag. 6.

Puel-

 

Puellae 10. annorum, adeo benignis variolis, adeo paucis, et praecipue in facie laborantis, vt ſollicitis Parentibus edicerem, me propriae filiae non meliores apprecari, ſi variolis laboratura foret. Viſitaui ipſam bis de die, attentus ad omnia; febris moderamine non egebat, aberat calor externus, aberant calida remedia, ſaltem potu congruo multo, remediis +dulis cum pauco nitro, veſperi hauſtu emulſiuo, cum ſyr. diacod. uncia dimidia vtebatur. Decima die videram ipſam hora 5 pomeridiana, turgebat facies, ſuppuratio puſtularum ex voto ſuccedebat, laetus rubor aderat in interſtitiis earum, nil aliud expectare licebat, quam fauſtiſſimum morbi finem; verum hora nona acceſſebar, vt moriturae opem ferrem. Accurro, et extra me raptus offendo optimam puellam agonizantem, algentibus brachiis et pedibus, ſpiratio erat ſtertoroſa, quam liberrimam obſeruaram ante 4 horas, magnus aderat a muco in ore et in pectore ſtrepitus, cum pulſu debiliſſimo. Nullus erat V. Sni locus; infundi faciebam clyſma acre, applicabantur

veſi-

veſicatoria, ori iniiciebatur gargariſma, dabatur Oxymel ſcilliticum, cumque hoc aegre deglutiret, Kermes minerale. Sed omnia fruſtra, namque ante auroram moriebatur. En! abditum et malignum Virus, etiam in Variolis benigniſſimis viſis. An adductus a me caſus aliquam ſimilitudinem habet cum illo, quem conſignauit Ill. MORGAGNI, *de ſedibus et cauſis morborum per anatomen indagatis, Tom. II. lib. IV. Epiſt. 49. art. 34.* de Puero nobili, cui paucae exterius variolae, ſignaque nulla iis affectorum viſcerum, et qui tamen ſuffocati inſtar moriebatur. In aperto corpuſculo, viſceribus omnibus ſaluis, inueniebatur puſtula vna, muſculis laryngis innata, et circa eam ater iam apparebat Gangraenae color. Quis inter Medicos magnus Apollo, ea autoritate, eaque arte pollebit, vt ipſi obſequioſa puſtula talem praeciſe locum non occupet? vt is eum occupatum ſciat? vt periculum inde naſcens auertat? Iungo triſti meae Hiſtoriae Puerum 5. annorum; adhibebatur methodus antiphlogiſtica ad amuſſim, ſed, quod negare nolo, primis tribus

morbi



morbi diebus contra mea monita, calore conclauis peccabatur, mulierculis consilia meis contraria suppeditantibus. Erat hic sine dubio causa, quod variolae si non confluerent, saltem cohaererent. Temperato regimine a me serio inculcato, potu multo, remediis acidis, nitratis, emulsiuis, et cum puer inquietus alioquin esset, et scalpendo sibi noceret, syrupo diacodii vespertino efficiebatur, vt faciei et manuum laetus turgor adesset, et suppuratio bene procederet. Decimo die circa vesperam, praeter expectationem ingruebat alui, quae hactenus vel sponte, vel clysmatis beneficio quotidie responderat, foetidus admodum cum dolore fluxus. Hunc, BOERHAAVIUM sequens, a resorpto pure et forte in interna intestinorum superficie ruptis maturis pustulis deducebam, neque, HUXHAMO monitore, statim supprimere volebam. Dabatur ex huius consilio rheum, intestina eluebantur lenissimo et demulcentissimo clysmate, pro potu seruiebat Emulsio amygdalina, et decoctum hordei. Cum malum perduraret, et miser pu-

sio

ſio valde debilitaretur, pulſu admodum depreſſo, ſedesque inuoluntariae interdum inſequerentur, Decoctum Corticis peruuiani et diascordium Fracaſtorii vocatur in vſum, verum vndecimo die, omnibus iisdem manentibus, moriebatur. Huic ſimilem, vt ouum ouo hiſtoriam, paulo poſt in puella decem annorum vidi. Doceri auerem, an mea culpa atra dies hos aegros abſtulerit; an, ſi abſoluar, plures Medici dentur, qui aeque inſontes, eiusmodi inexpectata fata doleant, quod, Collegas meos audiens, minimum Vratislauiae ſubinde accidere intelligo. Taceo triſtiſſimos caſus variolarum confluentium regularium, et anomalarum, quos adducere poſſem. Anne recte ſcripſit MEAD, *in nulla febre incertiora eſſe de vita et morte Iudicia, quam in hac, Cap. III. p. 30.* Sed in Viam! Certe, ſi aliquoties aegros Variolis, et inter eos Amicam aeſtimabilem et amabilem, mihi ereptos haud luxiſſem, omnibus actis quae agi poterant, ſique Tuam adſertionem, fere Variolas eſſe ſanabiles, ſi rite tractentur, repetitis vi-

cibus

cibus propriis oculis haud legiſſem, Amicus equidem manſiſſem Inoculationis, donec tot cumulatis elogiis ſummorum in vniuerſa fere Europa Virorum, quos omnes Impoſtores habere nefas et piaculum autumabam, praeponderare dubia ab aliis, et a Te VIR DOCTISSIME praecipue propoſita, clarius conſpexiſſem. Verum nouum ni fallor, argumentum, ab artis inſufficientia in naturalibus diſtinctis, interdum in confluentibus iisdemque anomalis praecipue, pluries animaduertenda, petitum, pro Inoculatione condere neutiquam ſategiſſem. Id vero ſaltem et vnice eo euictum volui, ſi Inoculatio repudianda ſit, vt alias ob cauſas, ita et ea propter, quod ars naturalibus Variolis ſanandis plerumque ſufficiat, quae fere Tua mens eſt, eius veram inſufficientiam, quam dolui expertus, et mille caſus fortuitos, aut infortunatos potius dicendos, qui ſe eidem inſufficientiae toties iungunt, ceteris argumentis, quibus ſuffulcitur Inſitio, inuictis manentibus, ſimul fortiter pugnare pro eadem. Meum deinde Infortunium,

et

et accedens moeror, mihi noctes atque dies insusurrabat, superfuturam fuisse clarissimam amicam, si puellula, aut et adultior virgo, Inoculationem fuisset experta, dum arti ad extremam potentiam extensae nequitia mali restiterat, et obstacula, nulla circumspectione praeuidenda, eidem fuerant reluctata. Vnum saltem hoc medium seruandi vitam, nullumque aliud tum in mentem venire poterat, neque, puto, rarum adeo est, inter Practicos sat expertos, quod aegros suos sibi ereptos dolentes, interdum aliam viam se elegisse mallent, quam elegerant, quando cum periculoso morbo, pluribus symptomatibus grauioribus, ac contraindicationibus nascentibus, ipsis dimicandum erat. Prouoco ad omnes sinceros et cordatos, si vel doctissimi fuerint. Perspicis ex his EXIMIE HAËNI, quousque Responsioni ad quaestiones Tuas obstrictus sim, quousque per omnimodum defectum experientiarum propriarum ad eas respondere queam. Anne mihi destinando monita contra Insitionem, quae a Te non expectaueram,

 sal-

ſaltem diſcere auidus, quid in therapia mea omiſerim, amas me facere Proſelytum? ſed et hoc non niſi ex animo mihi bene cupiente profectum agnoſco.

  

Siue vero in controuerſo hoc argumento idoneus arbiter ſim, ſiue minus, ita interim comparatas eſſe propoſitas a Te quaeſtiones video, et conuincor, vt ab omnibus Medicis piis, cordatis, exercitatis, et doctis omnium regionum, quam ſeueriſſime expendi mereantur. Niſi enim earum vel in hanc vel in illam partem ſolutio, diſceptationibus feruidiſſimis finem imponat, Inoculationemque vel throno imponat, vel perpetuo exilio mulctet, neſcio quid ad finem Seculi facile extendendis litibus tandem aliquando terminum conſtituere queat. Sanxit equidem integrum Collegium medicum Londinenſe, *Inoculationem ſummi momenti eſſe pro ſalute generis humani*, cauſaeque huius deciſio publice promulgata legitur a). Sed nondum quies. O quam vellem! MAGNIFICE HAËNI! in commoda mortalium omnium,

a) *Journal britannique* Tom. XVIII. 1755. Nou. et Dec. et in

omnium, aliquis conſtitueretur Areopagus, cuius iudices ſeueri, veritatis amantiſſimi, praeiudiciorum iurati hoſtes, in tenebris conſidentes, audirent Te, Tuosque Antagoniſtas, Perſonas ipſas haud videntes, atque ab omni partium ſtudio alieni, ſumma mentis acie, res, et ipſa facta ponderarent, atque ita laudes et vituperia Inoculationis inter ſe conferendo, maturatam ſententiam pronunciarent. Verum eheu ardentiſſimum hoc Votum ad pia deſideria refero, et diu duratura diſſidia Variolis inoculandis ominor, poſtquam nouae turbae Pariſiis ortae ſunt, licet ibi, vt relationes publicae teſtantur, non deſint multae Perſonae dignitate conſpicuae, quae, cum *Comitiſſa de Belſunce* et Nobili Foemina *de Boulogne*, felicem inoculationem expertis, non obſtantibus numeroſis inimicis huius inuenti toti generi humano vtiliſſimi adhuc habiti, eandem viam ingreſſurae ſunt a), dum interea in Anglia, et in aliis Regionibus, Inoculatio ſtrenue in vſu eſſe pergit. Integra hodie Bibliotheca perlegenda eſt, ſcriptis pro illa, et contra

Taylori Orat. Haruei-iana p. 52.

a) *ita legitur in nouellis publicis Hamburgenſibus 1763. d. 5. Octobris.*

illam refertiſſima, et peculiare fere hominis ſtudium requiritur, ad omnia trutinanda, et conferenda. Tecum ergo ERVDITISSIME HAËNI, qui ad ſtuporem legiſti, qui litterarum commercium cum Medicis longe lateque per totam pene Europam diffuſis alis, quod mihi omnino negatum eſt, quique ſumma mentis agilitate et perſpicacia polles, de gloria diſputando contendere non audeo, quae inſuper, vt recte mones, tota inanis eſt, et nulla, ſi ſaltem nos reſpiciat, ſalutis proximi oblita. Valde vereor, ne Tecum in arenam deſcendens, et circum ingreſſus, curſuque certaturus, me ipſum fruſtrarer; ne Tibi exercitatiſſimo et perniciſſimo laurea cito decerneretur certa; egoque nunc praecipue elanguidus et fractus membra, non paſſibus aequis Te ſequerer, ſed longo interuallo poſt Te relictus et anhelus a circumfuſis ſpectatoribus temeritatis arguerer. Felicem me praedico, quod in virium mearum tenuitate, quam noui, chriſtianam meam intentionem, et animi candorem, in re controuerſa agnoſcas, neque certe falleris, OPTIME HAËNI.

Atque

Atque quando poſitis terrenis exuuiis, coram tribunali diuino olim vna comparebimus, ſi omnia fecerimus, quae praecepta nobis erant, Serui tamen inutiles (Lucae XVII. 10.); quando ab eo, cui multum datum erat, multum quaeretur (Luc. XII. 48.); ego, qui donum vt accepi, in alios miniſtraui, vtcunque bonus diſpenſator variae gratiae Dei (I. Epiſt. Petr. IV. 10.) minamque meam non in ſudario repoſui, ſed ea acquirere conatus quantum potui (Luc. XIX. 16. 20.), iuſtiſſimo Iudici ſeueram rationem, de concredita mihi proximi ſalute daturus ſum, ad vnum Redemtoris ſanguinem, pro delictis et defectubus meis effuſum, ſpe et fide comitibus, recurram. Quot vero laudabilia opera, quibus gratia ſummi Largitoris pretium ſtatuet, et SWIETENIVM, et TE, et HALLERVM et WERLHOFIVM, et paucos alios ipſis ſimiles inter Medicos ſequentur, quando morituri in Domino beati erunt ἀπάρτι (Apocalypſ. XIV. 13.). Sed iam propius ad inſtitutum.

  

  

Si aequus et bonus de me iudices, vt ſpero, et confido, VIR EXCELLENTISSIME! non facile mihi vitio vertes, me hactenus multa bona de Variolarum inſitione expectaviſſe, et generi humano de hoc nouo Inuento gratulatum eſſe. Licet enim id primo a vetula graeca, a ſuperſtitionis macula omnino non libera in actum deduceretur, haec tamen non rudes mulierculas, imprudentes non lippos et tonſores, non homines illiteratos, non Medicaſtros ſeduxit, ſed regum, principum, procerumue familias attraxit, atque ante paucos annos AVGVSTISSIMVS CAESAR FRANCISCVS permiſit, vt Florentiae noſocomium Inſitioni dicaretur; omnemque lapidem mouit REX STANISLAVS, vt in Lotharingia introduceretur haec operatio. Excitati ſimul celeberrimi Medici, ſtatim nouum inuentum illud ſuum fecere. Summos certe in arte Viros, praecones et defenſores ſuos nactum eſt, de quorum religione, pietateque, eruditione, fide, candore nemo facile dubitauerit,

uerit, atque in quos ne tantillum suſpicionis cadere poteſt, quod hominum ſalutem curae cordique non habuerint, quod cum corio eorum luſerint, quod eorum animas viles iudicauerint. Inſignibus animi dotibus conſpicuos amat et veneratur Orbis, Angliae, quae vera Patria Inoculationis haberi debet, Ornamenta, Illuſtriſſimum SLOANE, FREINDIVM, ARBVTHNOT, FVLLERVM, MEADIVM, HVXHAMVM, HADOW, KIRKPATRIK, BVTTINI, BVRGES, IVRIN, ARCKI et RANBY, vt alios bene multos taceam. Non minori cultu proſequendos ſtatuunt omnes boni aliarum Regionum ſpectatiſſimos Medicos, BOERHAAVIVM, quem Tu excipis, HOFFMANNVM, HALLERVM, WERLHOFIVM, HEISTERVM, TRONCHIN, ROSEN, SCHVLTZIVM, etc. An diceres, ſine omni ſinceritate, ſine omni iudicio, conſcriptam eſſe *Iuſtificatam Inoculationem* Illuſtr. TISSOTI? atque non niſi ampullas et ſesquipedalia verba proieciſſe, eloquentisſimum, ſed doctiſſimum pariter *de la* CONDAMINE? Sane hos omnes, et longe plures, obiter ſaltem attentos fuiſſe ad rem adeo

 ſeriam,

ſeriam, et vni pertinaciae ſuae, vni praeiudicio, vni philonikiae, innòcentium Vitas ſacrificiales voluiſſe, vix ſtatuendum exiſtimauerim, licet multitudo errantium errori veniam non pariat. Plura adhuc monenda habeo. Eo ipſo tempore, quo Tu ad me ſcribis, Viennae adeo aſſurgit Medicus, Cl. WETSCHIVS, qui in praefatione ſua, Schediaſmati alicui, ex gallica lingua in vernaculam a ſe verſo, praemiſſa, magno affectu, magnaque Parrhiſia, partes Inſitionis tuetur a). Audiri etiam mea ſententia merentur celeberrimi Inoculationis Patroni, quando, eius praerogatiuas prae naturalibus Variolis expoſituri, ab aetate, ab optimo anni tempore, a ſanitate praeuia, a certitudine adminiſtrationis curatoriae, a praemeditato occurſu, imminenti malo deſtinato, a corporis praeparatione, a loci opportunitate, argumenta petunt. Namque certum eſt, et a nemine negari poteſt, ſi naturales variolae aggrediantur non adultum, ſed puſionem, ſub verna aëris temperie, ſi corpuſculum offendant ſanum, aut forte fortuna praeparatum, ſi omnes circumſtantiae curationis, regiminis, loci

a) Das beſtrittene Vorurtheil, die Einpfropfung der Kinderblattern betreffend. Wien 1764.

loci, vbi aeger decumbit, fuerint ad vota, eas facilius, felicius multo, et certius ſanari; eccur igitur, dum haec omnia abeſſe poſſunt, et ſaepiſſime ſolent a naturalibus, eorum valorem apud inoculatas conſideratu dignum habere dubitaremus? Accedunt aduerſiſſimi caſus, quando nempe minus opportuno tempore et loco naturales variolae infeſtant, atque menſium fluxui, haemorrhagiis vterinis, grauiditati, abortubus, puerperio ſeſe infeliciter iungunt, aut peregre degentes, et a Neceſſariis, a Medico, a pharmacopolio remotos, omnique iuuamine et ſolamine orbos aggrediuntur. Non ſine ſummo dolore recordor, eiuscemodi infortunii, quod ipſe expertus ſum, recentisque eminentiſſimi tragicam memoriam iam taceo. *Tu* CELEBERRIME HAËNI, *ſi ſimilia occurrerint, vt dicitur, nil ſupereſſe credis, quam ingemiſcere, cum nobis nil obiicere queamus, et decretum Prouidentiae agnoſcere, Inſitione mala occulta provocante, mortem producente, et praeciſe hoc faciente, quod accuſatur in naturalibus variolis* a). Nonne autem Inoculationis amici, ſi eius praerogatiuas demon-

a) *Refutation de l'Inoculation p. 101.*

 ſtrare

ſtrare nouerint, hic cauſabuntur, ſe ab inexorabili Fato, pedibus ſubiiciendo, alienos, adorare Prouidentiam, quae tantum abeſt vt coërceret, vere tutelam noſtri nobis permiſit, et prudentem futurorum malorum auerſionem ſemper ratam habuit. Vnum adhuc habeo, quod ſilentio praeterire nolo. Stabilire nituntur Inoculatores, materiem varioloſam in Inſitione primo aggredi partes externas ignobiliores, et ſedem in iis fixiorem nanciſci, in naturalibus nobiliores pulmonem primo pati, vnde reſpiratio cita, et qui reſpirationi reſpondet, concentus cordis turbatus, diatheſis ventriculi phlogiſtica, etc. neque facile mori Inoculatos ab inflammatione pulmonum, et eorum ſuppuratione, ob contagium inſpiratione hauſtum, vt innumeros infelices a naturalibus variolis a). Tu VIR DOCTISSIME! illuſtratione deſumta a viperis, a ſerpente Guineae, ab oleo tabaci, et Bantamenſium telis, probare conaris,

a) *Videatur Schultze, medicus Holmienſis, in egregia commentatione de Inoculatione Variolarum, quae verſa ex ſuecica in teutonicam linguam a Ioh. Andrea Murray, habetur in Promptuario Hamburgenſi. Prior ſectio legitur Tom. XXVI. Part. I. poſterior Tom. XXVI. Part. II. hic vide Part. II. p. 137. 138.*

ris, infectionem per inspirationem et deglutionem in Variolis securiorem esse, quam cutaneam a). Solide autem Tibi, ni fallor, ad haec, et quae inde deducis, respondit Illustris TISSOT b).

a) *in Quaestionibus p. 57. seq.*

b) *Lettre p. 81. seq.*

  

Sed ita statueram hactenus, nunc vero VIR MAGNIFICE, me manu quasi tua ad aliquod biuium deducis, expectasque a me, vt vel Tibi rectitudinem vnius tramitis, per quem plurimos incedentes video, exacte commonstrem, aut in alterum hactenus a Te pressum, Te sequar. Nescio vere quo me vertam, an sinistrorsum, an dextrorsum incedendum; an standum sit, et diutius deliberandum. Consilium capiendum fluere debet ex curatiore pensitatione tuarum quaestionum, ad quas eapropter nunc propius accedo, licet, vt iam dixi, non mihi, sed aliis nodorum horum solutiones proprie incumberent. Magno Iudicio, quod sine blandiloquentia vltro, et ingenue fateor, illas quaestiones X. coordinas, namque tot numero columnis a coëuntibus peritissimis Architectis structa nititur Inoculationis Basilica,

hisque

hisque dirutis tota cadat necesse est. Videntur mihi valido tuo concussu quaedam earum nutare, sique repetitis conatubus et aequali robore eas a fundamentis disiicias alter Simson, stabis eo felicior, inter rudera saluus Expugnator et Domitor, plaudet Tibi praesens Seculum, et aeternum paeana canet grata Posteritas.

  

Credidissem VIR INSIGNIS, Te iam posthabitis dubiis, quae Theologiae decidenda relinqui debent, (quae vero summe reverendi sacrarum litterarum interpretes, MADDOX, SOMME, DODDRIDGE, CHAIS, atque catholicae Religioni addictus, Medicus et Theologus, IOANNES MARIA IOACHIM, validis argumentis confutare laborarunt) quaesiturum ante omnia:

An certo certius quiuis homo Variolis serius, ocyus, afficiatur?

id enim alibi non omisisti a). Non sine indignatione, et animi quadam acerbitate, quam improbare nolo, inueheris in eos, qui hoc generatim affirmant. Id nihilominus recentissimus Scriptor Cl. WETSCHIVS Vien-

a) *Quaestionum p. 52. sq.*

Viennae adeo Medicus, denuo vrſit, fere neminem a Variolis immunem manere contendens, et huic fundamento defenſionem Inoculationis ſuperſtruens a). Tu, Te ſaltem cum iis loqui velle, affirmas, qui concedunt vigeſimum quemque hominum variolis expertem mori. Hac proportione poſita, computum inis hominum, Pariſiis, alibique in Gallia, tum et in Hollandia viuentium, et ſecundum illum immunes a morbo excipis. At hi, vt nil diſſimulem, mihi nimii videntur. Tu vero variolis graſſantibus ſedulo inquiſiuiſti, quotnam ob conſortium cum aegris, facile inficiendi, liberi tamen manſerint. Numeroſos valde, quos ſtupes, obſeruaſti, et plures poſt 20 annos mortuos noſti, ſine variolis. Parce mihi, ſi quaeram, an omnes, ſi diutius vixiſſent, certo manſiſſent liberi, namque ſeptuagenario et octuagenario maiores iis adhuc laborare poſſunt, teſte experientia. Illuſtr. MORGAGNI *Epiſtola paulo ante citata art. 33.* vel 80 annos natis, accidiſſe ſciens ſcribit, vt immunes ſe habentes, variolis, non ſecus ac pueri inficerentur, et his facilius perirent. Habet BORELLVS *Cent.*

a) *in Praefat. Verſionis, ſchediasmatis pro Inſitione, Anonymi Galli p. 12. quod habetur in Journ. Encyclopedique 1763. Nov. p. 65.*

Cent. III. Obs. 10. mulierem Bononiensem Gallam, quae anno aetatis 118 variolis periit. Fides sit penes autorem. Adfuerat Amica mea plus simplici vice variolis adfectis, et ante paucos annos Necessariae coniunctissimae, cuius obitum acerbe plorabat. Salua interea manserat, et mansuram per omnem vitam sperabatur; sed anno 27 aetatis diro fato suo sese cogebatur submittere. Iuuenis, cuius historiam dedi a), adhuc 5 et 9 annorum puer, et in vicinia, et in domo parentum obuias ad tempus eluserat variolas, sed 20 annum agentem rapiebant. Filia mea annos habens 19. iacuit me volente in lecto sororis aegrae, infans aliquot hebdomadum, vt benignas in se deriuaret variolas, deinde adstitit nocte dieque fratri charissimo, eum me nesciente, etiam sub ipsa suppuratione, et exsiccatione, exosculata, vlcera tandem a morbo relicta detersit sua manu, et balsamicis immissis, obligauit. An tuta erit ad finem vitae? Faxit DEVS! Domestica exempla produxi, ex peregrinis varia producere possem, si iis opus foret.

a) *de insuffic. method. med. hist. II.*

Ex

Ex praesuppositis tuis conaris deinceps probare, plures per insitionem variolas pati, quam naturali contagio, a quo plures exemptos habes. De hoc vero asserto non conuincor. Dispositio interna sine omni dubio requiritur, vt agat contagium, quomodocunque corpus ingressum. Si haec absit, abest effectus, et ab inoculatione, et a contagio naturali inspirato, aut deglutito. Sphaeram receptiuitatis et actiuitatis, earundemque mutuum in se habitum omnibus discipulis, quauis data occasione, in scholis medicis solerter inculcare solebat, fidissimus olim Praeceptor HOFFMANNVS.

Caeterum vt sententiam tuam de Variolis, multos intactos relinquentibus, porro firmares a), confutatis Arabibus, et eos sequentibus, vtpote Tibi contrariis, ex multis Auctoribus tibi amicis (simul de duplici inuasione naturalium testimonia conquirens, de qua seorsim Te duce breui acturus sum) fuse probas, longe maiorem esse numerum hominum, qui ad Vrnam variolas veras prorsus ignorant, quam credatur. Adeo remotus sum, vt fidem Medicis praestantissimis

a) *in refutatione a p. 2-30. seq.*

mis a Te nominatis derogem, vt potius iis adhuc addam BORELLVM, qui multos ſe vidiſſe dicit nunquam variolis mulctatos a). Patere autem iam, vt quae circa hanc rem mens ſit Illuſtr. TISSOTO, breuiter inquiram. Nullibi inuenio in eius ſcriptis, quod abſolute affirmauerit, omnibus ſine exceptione hominibus cum variolis confligandum eſſe. Dicit ſaltem, *nimis verum eſſe, quod fere omnes ipſis ſubiecti ſint* b). Allegat deinde Arabes, neceſſitatem vniuerſalem affirmantes; ſed vere teſtimonium eorum nil valet, vt recte mones; nam nititur praeiudicio de ſanguine materno menſtruo reſtitante, omnesque qui eos ſequuntur, ea propter infidi aſſertores haberi debent, quanquam *Rhazes* a communi neceſſitate vnum vel alterum mortalium excipiat. Verum dein bene multos Scriptores TISSOTVS adducit, ab hoc errore immunes, qui tamen nihilominus vel nemini parcentem morbum Variolas appellant, aut raras eſſe exceptiones contendunt. PRIMEROSIVS et DIEMERBROECKIVS, et inter recentiſſimos Cl. LVDWIG, valde exiguum numerum dicunt eſſe eorum, qui

a) Cent. III. obſ. 10.

b) Lettre p. 74. ſeq.

qui liberi maneant. Alii inter multa millia, paucos eſſe hoc priuilegio gaudentes, aſſeuerant. RIVERIVS vix vllum mortalium variolas euitare poſſe, ſcribit. MEAD vix inter mille vnum tutum credit. *De la* CONDAMINE malum hoc totum genus humanum ſubiugare, numerumque eorum, qui vitae humanae terminum ſine eo attingunt, adeo exiguum eſſe notat, vt exceptioni a communi regula non locus ſit. Vt plures taceam. Iam celeberrime HAENI! agmina duo Virorum in arte exercitatorum, pro Te, et pro TISSOTO militantium, conſpicio; an vel a tua parte, vel a TISSOTI, ſtantes, omnes veritatis oſores, et falſarios habere debeo? Auertat hoc DEVS! vt in merita eximia Magiſtrorum in arte adeo ruditer peccem. Hypotheſeos fauor, qui ab eruditiſſimis quandoque non abeſt, non poteſt inculpari; nam Auctorum plurimi et pene omnes, vel Tecum, vel cum Tiſſoto facientium, nec pro Inſitione, nec contra eam, canones ſuos ſtabiliuerunt, ſed hic, vt ſimplices hiſtorici, conſiderari queunt. Aut ergo vtrinque aliquibus defuit in obſeruando accura-

curatio, aut alienis experientiis fidem praecipites adhibuerunt, aut Praeceptorum ſuorum placita ſecuti ſunt. Non inquiram, ſed lis adhuc pendet. Quid ego? ibo in medio tutiſſimus, non interim callide bilinguis, quod elogium in perpetuum deprecor. Aſſero ſincerus, ſi mea experientia aliquid valeat, noſſe me homines, qui variolas nunquam paſſi ſunt, ſed non adeo multos. Medicos practicos interdum hac praerogatiua gaudere miror. De Ill. OOSTERDYCK SCHACHT Tu recenſes, quod cum patre, matre, et ſorore, Variolas ignorauerit a). Si recte memini, nec Illuſtris HOFFMANNVS, nec celebris olim apud nos *Chriſtianus de* HELWICH, Practici longaeui, totiesque inter variolas laborantes verſati, ipſi vnquam iis laborarunt. Saltem filia Cl. *de* HELWICH poſt 40 aet. annum mortua eſt, ſine Variolis. Peculiares Idioſyncraſias dari aſſerit HVXHAM b), a morbo hoc penitus ſecuras manentes, prouocatque ad Aniculam aegris ſeruire ſolitam, et Pharmacopoeum per multos annos inter illos degentem, ſine proprii corporis infectione. Lubens ergo

a) *Refut. p.* 28.

b) *de Variolis p.* 8.

accedo afferto Tuo ILLVSTRISSIME HAENI! quod tamen, bona Tua pace, paulifper reftringendum cenfeo. Demus nimio effe, qui inter mille vix vnum effugere variolarum iugum exiftimant, Tu ceu fundamentum tuae computationis ponis, Inoculatoribus quibusdam concedentibus, vigefimum quemque effe liberum a), Tiffotus, qui concefferat, vix 25 quemque effe vacuum b), alibi inter 500 vnum exemptum fumit c). Detrahantur his quingentis trecenti et octuaginta, atque centum tuis viginti addantur, ftatuaturque, inter 120 vnum manere intactum. Forte haec proportio ftabilita vtcumque experientiae refpondebit. Si neges, et tuam feruare volueris, dicam, perinde effe, fiue maior vel minor numerus fit exemptorum, fi referantur ad illos, qui vere morbo afficiuntur, hactenusque Inoculationem vel parum perdidiffe vel nihil. Namque iam quaeftio alia nafcitur, quam a Te expectauiffem:

a) *Quaeftionum p. 55.*
b) *Inocul. juftif. §. 21.*
c) *Lettre p. 77.*

An Inoculatio illis adfricet Variolas, qui fine ea ipfas haud paffi fuiffent?

Certiſſimis experimentis conſtat, dari homines quosdam, quibus adminiſtrata inſitio nullas prolicit variolas. Id Tu haud negas, cum de fruſtranea inſitione loquaris, vt in ſequentibus videbimus. Si omnibus hominibus ſine exceptione ab hac variolae erumperent, pauciſſimis etiam ſaltem a naturali infectione liberis manentibus, tum et hos pauciſſimos fruſtra in artificialem morbum detruſos queri poteramus, a quo natura ipſos vacuos voluerat. Verum dum et Inſitio, optime licet adminiſtrata, interdum effectu caret, inferunt exinde eius patroni, atque haud immerito, illos, qui ſemen aliquod inſitum non gerunt, aut ſi mauis, internam corporis diſpoſitionem non habent, vt naturali contagio accedente, certo tempore ſubiiciantur variolis, etiam ab inſitione nullas obtinere.

Deinde vrgent, numerum eorum, qui poſt Inſitionem inſtitutam manent liberi, ita fere ſe habere, vt eorum, qui natura non proni ſunt ad morbum. Patet ergo, ſiue horum plures fuerint, ſiue pauciores, nume-

rum

rum aegrorum Insitione non augeri. Saltem inposterum eo allaborandum crediderim, vt accuratissime constaret tandem, quot inter mille homines inoculationem frustra experti essent, et liberi mansissent a Variolis ad vltimum terminum vitae humanae, et quot inter mille homines a naturali contagio ad eundem vitae terminum morbo non laborarint. Si post repetitas experientias numerus vtrinque foret par, vel non multum dispar, hoc respectu nil dignitati Inoculationis decederet. Sed hoc opus hic labor est.

Deinde euidenter determinandum adhuc restaret, an qui inoculationem frustrantur, sint illi ipsi, qui naturali dote morbo non subiacent?

Superesset adhuc curatior inquisitio, sitne contagium artificiale fortius et periculosius naturali, aut contra? Sed de hac re agendi alio loco dabitur occasio. Vita superstes, et mors ab vno et altero vel frequentior, vel infrequentior, hic decidunt.

Apud immunes in totum ab hoc morbo, vna et altera infectionis via perinde se ha-

bebit; nam eiusmodi felices mortales nec artificiale virus, nec naturale ferit.

Non infrequens etiam quaeſtio eſt, circa diſputatam in vtramque partem Inſitionem,

An cum pure variolarum inſititio, et cum eius vehiculo, immitti in corpus queat fomes morboſus alius, contagioſus?

Verum ad quaeſtionem hanc, cum emphaſi vnus inſtar omnium reſpondet MEAD a): *Vix crediderim*, inquit, *hoc vnquam fieri, vt vnius morbi ſeminium alterius, qui diuerſae ſit naturae, genitalem materiam ſecum ferat commiſtam.* Idem monet KIRKPATRIK *Sect. VI.* Vana propterea ſpes eſt parentum, quando infantibus ſcabioſis, cruſta lactea et achoribus, morbillis, rubeolis, ſcarlatina febre etc. adfectis, mitiores olim ominantur variolas. Aeque vani ſunt, qui peiores eapropter metuunt. Habent omnes hi et reliqui morbi cutanei ſuum ſemen ſpecificum, ſuum indiuiduale ingenium, quorum vnum alteri nec addit aliquid, nec detrahit, ſed quodcunque ſibi proprios, pro corporum diuerſa

Cap. III.

indo-

indole, edit effectus a). Vidi scabiei, et crustae lacteae, et morbillis antea sanatis aut perdurantibus, pessimas, sed et benignissimas accessisse variolas. Notat adeo celeberrimus KIRKPATRIK *Sect. VI. p. 200.* pus ab homine desumtum, qui lue venerea laborabat, inscio Pharmacopoeo, Iuuenculaeque cuidam insitum, optimas produxisse variolas, nec post aliquot annos, vel minimum signum implantatae foedae siphylidis in ea emersisse. Coeterum autem (cum Meadio loquor.) *vtcunque res sit, insanus foret Medicus, qui, nullo delectu habito, ex quolibet corpore pus morbidum sano inferendum extraheret. Accommodatissimae ad hunc vsum sunt, infantum aut puerorum coetera sanorum, et parentibus, quoad eius fieri potuerit, sanis prognatorum Variolae.* Idem consilium pro hac obiectione diluenda, quae eius tertia est, ad quam respondet, quoque sapienter suppeditat Celeb. *de la* CONDAMINE. Egregie etiam illa confutatur a recentissimo scriptore *Anonymo Gallo* b).

a) *Conf. Hoffmann. Med. Syst. Tom. IV. Part. V. c. V. p. 192.*

b) *Vide Wetschii versionem p. 48. sq.*

 Iam

   

* * *

Iam tandem, ſine vlterioribus ambagibus, ad illas ipſas quaeſtiones, in Tua reſponſione ad meam epiſtolam mihi propoſitas, accedam ERVDITISSIME HAËNI! atque album et atrum certius a ſe inuicem diſcreturus, vbi opus fuerit, paulo fuſius, contrariis iuxta ſe poſitis (quod bona Tua pace fiet), omnem quam poſſum operam, earum deciſioni, aut euolutioni vberiori candidus et circumſpectus impendam. Amicus mihi Ariſtoteles, amicus Plato, ſed magis amica Veritas.

QVAESTIO I.

An dantur Variolae naturales primae et ſecundae?

Aſſeruerat Celeb. TISSOTVS, vniuerſalem Medicorum conſenſum eſſe, quod in genere ſemel ſaltem homines variolis laborent, et falſum haberi debere, aliquos bis laborare; eaque propter GOHLIVM palam affirmaſſe, hucusque nondum probari potuiſſe, vllum mortalium Variolis bis adfectum fuiſſe, omnesque expertos Practicos

ita

ita ſtatuere, DIEMERBROECKIO forte excepto. Si de veritate eorum, quae refert, dubitetur, certum tamen eſſe dicit, raro hoc fieri, atque proinde nullam exceptionem a regula vniuerſali faciendam eſſe. Porro commemorationem Variolarum iteratarum non aliunde deducendam contendit, quam quod verae variolae cum ſpuriis, et aliis puſtulis confundantur, quia ſymptomata, eruptionem antecedentia et concomitantia, ſibi in vtroque genere ſint valde ſimilia a). Quin ſeſe euiciſſe putat, ſemel ſaltem hunc morbum hominem prehendere, quia nullus Medicus bis in vno ſubiecto eum ſanauerit. Si autem certum eſſet, vere bis ſubinde variolas affligere, conſultum fore pronunciat, bis eas inoculare, vt nunquam cum periculoſis ſymptomatibus hominem inuaderent b). Imo vero, quod magis eſt, inter tres poſitiones fundamentales, cui omnis innitatur Inoculatio, ab egregio Viro ſtabilitas c), vltima ſic ſonat: *Illi qui ſemel mulctati ſunt Variolis, nunquam ſecunda vice ipſas experiuntur.* Atque a TISSOTO cum aliis nequaquam diſ-

a) *Inocul. iuſtif.* §. 7.

b) §. 7. *in fine.*

c) §. 21.

 ſen-

ſentiens longaeuus, et magnae auctoritatis Practicus MEAD, *Experientia compertum eſt*, inquit, *nunquam iterum reuerti poſſe Variolas* a), huicque non minus vt ille, Inſitionis praeſtantiam, quam commonſtrare aggreditur, ſuperſtruit. Plura adhuc dicere debeo; adeo de huius rei veritate conuictus eſt venerabilis hic Medicus, vt grauida forte variolis laborante, ſi abortio non fiat, prolem omnem vitam a malo hoc immunem tranſigere ſcribat, niſi forte ante in lucem edatur, quam puſtulae maturitatem ſint aſſecutae b). Neque certe obiter haberi poteſt notabilis hiſtoria, quam tradit, de muliere, quae variolas diu perpeſſa erat, atque ſub finem grauiditatis marito ſuo ipſis laboranti conſtanter aſſedit, neutiquam infecta, foetum tamen tandem edidit mortuum, totoque corpore, mirum viſum, puſtulis foedatum, et aperte comprobantem, ſe lue hac conſumtum fuiſſe c). Noſti EGREGIE HAËNI concluſionem, quam inde elicit MEAD: *Nemo igitur mortalium quenquam hoc periculum bis vnquam ſubire poſſe, vel minimam ſuſpicionem fouere*

a) *Cap. III. p. 60. Edit. Götting.*

b) *Cap. II. pag. 54.*

c) *pag. 55.*

fouere debet. Quod matronae variolis laborantes ediderint foetus, eodem morbo affectos, qualia exempla ipſe MEAD a), HILDANVS b), ETTMÜLLERVS c), LANZONVS d) et alii ſuppeditant, qualeque ego ipſe in propria vxore obſeruaui, non mirum; verum quod prorſus intacta matre virus ad foetum tranſire potuerit, vt ni fallor, de foemina aethiopica etiam alicubi narrat RVYSCHIVS, id admiratione dignum, et ſpecioſum primo intuitu contra duplicitatem variolarum poſſibilem, argumentum praebet. Sane quia omnibus Anatomicis et Phyſiologis aſſerentibus, foetus conſiderandus eſt tamquam pars ſuae matris, et ſi ita loqui liceat, tanquam aggregatum temporarium ad eius viſcera; quando nil ad foetum tranſit, niſi per ſanguinem maternum, cum quo coeteroquin tot vitia ipſi communicantur, inſpiratione et deglutitione prorſum hic cadente, per rerum naturam impoſſibile fuiſſe videtur, foetum matris laborare potuiſſe variolis, niſi ipſa antea ſecunda vice infecta iisdem laboraret, et foetus laborauit tamen, ſecunda

a) *C. II. p. 54.*
b) *Cent. IV. Obſ. 55.*
c) *Prax. Tom. II.*
d) *E. N. C. Cent. I. p. 199.*

cunda infectione matris non amplius possibili, licet inspiratum ab ea variolosum virus succos eius peragrauerit, non nisi eorum ministerio foetui communicandum. Verum vlterius progrediuntur, qui simplici tantum vice variolas homines impetere credunt. Adfert Cel. SCHVLTZIVS notabile exemplum infantis, a Cel. Rosen obseruatum, qui ex ergastulo materno crustas et cicatrices secum attulit, atque post 6 annos, fratribus et sororibus suis variolis laborantibus, immunis inter eos mansit a). Deinde exhibet varia exempla Insitionis, quae altera vice repetita non amplius produxerit pustulas b), et hoc saepius factum fuisse dicit. Idem omnes inoculatores vrgent, atque cum eo pronam exinde consequentiam eliciunt, Variolas etiam naturaliter non bis euenire. Cl. MVRRAY diss. *de fatis Variolarum in Suecia, 1763. edita*, falsum esse scribit, quod asserit *Sidobre*, Variolas in Suecia saepe iterum recurrere. Interea tamen Celeb. TISSOT, quanquam antea aliter statuisset, atque adhuc sub initium gallicae Epistolae, ad Te, VIR

HONO-

a) *Part. II. p. 147. 148.*

b) *Part. II. p. 171. 172. 173.*

HONORATISSIME, ſcriptae, Inoculationem ſtrenue tuiturus, inter alia, quae ipſum pro eius partibus ſtare faciant, conuictus poſuiſſet, *quod ſemel ſaltem homo Variolis laboraret, non ſecunda vice* a), mitius tamen breui ſentire incepit. Scilicet in eadem epiſtola b), multis interiectis, quod omnino laudari debet, quodque Tu recte, non niſi magnorum Virorum eſſe, notas c), ingenuus confitetur, ſe errauiſſe, fidem habentem Celebribus Autoribus, poſitiue negata iteratione morbi. At interea rariores eſſe caſus monet, ac Tu quidem putas, eaque propter ex ſcriptoribus multis probatis, a quibus Arabes abeſſe mallem, neutiquam nullitatem, ſed raritatem caſuum euincere molitur, confundi etiam a celebribus medicis, veras et ſpurias variolas, affirmans. Sincere ſcribo; dum per hos 32 annos a principio praxeos, bene multarum familiarum, in vrbe, variarumque extra eam, in Principatu Vratislauienſi, vnoque vel altero alio Sileſiae, Medicus ordinarius exſtiti, morboſque eosdem toties in vno ſubiecto, bis, ter, quater

a) *Lettre a Mr. de Haën en reponſe a ſes queſtions ſur l'Inoculation p. 3.*

b) *p. 90 - 98.*

c) *Refutation. p. 30.*

ter ſanandos habui, inter eos tamen nunquam, quod candidus teſtor, primas et ſecundas variolas naturales obſeruaui. Igitur fere certus credidi diu, has rariſſimas eſſe debere, maxime cum nouerim Medicos, qui nullas, nullum qui repetitas Variolas in ſe ipſo expertus eſſet, quod tamen ob perpetuum cum eiusmodi aegris commercium, ſaltem vni, prae mille aliis hominibus commercium hoc vitantibus, euenire debuiſſet. Confirmatus ſum in mea opinione obſeruatione certiſſima, quod ſaepe ſpuriae variolae cum veris confundantur, quod et aſſerit Cl. SCHVLTZE a), licet hae febre praecedente, tempore eruptionis, et toto decurſu ab illis valde omnino diſtinctae eſſe ſoleant. Externa tamen vtrarumque facies interdum ſibi reſpondere videtur, et quaedam ſymptomata ſunt analoga, cumque et variolae ſpuriae mox faciliores, mox difficiliores toleratu ſint, et numero differant, fieri omnino poteſt, vt peioris notae ſpuriae, pro melioris notae veris habeantur, non a mulierculis tantum, ſed etiam a Medico non ſatis exer-

a) *Part. II. p. 169. 170.*

exercitato, et ante eruptionem non aduocato. Vidi ſaltem, puſiones aliquando plus aegrotare a variolis ſpuriis numeroſioribus, quam a veris benigniſſimis paucioribus. Vidi proprium filium circumire triſtem, languidum, deque dolore capitis, de appetitus defectu, de frigore et calore reciprocis, dum pulſus vere febrilis erat, conquerentem audiui, ad tertium diem, erumpentibus deinde variolis ſpuriis, ſpiſſum, ſubflauum et puriforme liquidum continentibus. Tales praeciſe rerum conditiones expertus ſum in Excellentiſſimo Viro, olim Curiae ſupremae Sileſiacae Praeſide, nunc Miniſtro in Aula Berolinenſi a). Numeroſiſſimae erant variolae ſpuriae, praegreſſus erat duorum dierum languor, anorexia nauſeabunda, cum motubus febrilibus, antequam vocarer. Aderant in ciuitate paſſim verae, quibus tamen ſe in teneriore aetate iam laborauiſſe Illuſtriſſimus aeger aſſeuerabat, quas vero in nato vltra 30 annos, iam prae ſpuriis, expectauiſſem. Continebant puſtulae ſerum denſum, flaueſcens, negotiisque publicis intentiſſimum

a) *vide Schediaſma meum de methodo medendi Variolis inſufficiente.*

Virum

Virum, donec exſiccarentur et deciderent, vltra octiduum domi detinebant, lectulo non equidem affixum, foueas in facie paſſim relinquentes. Condonandum fuiſſet Medico nondum ſat diu in praxi verſato, ſi vere ſpurias has variolas, pro veris benigniori-bus ſecundis habuiſſet. Taceo puellam, de qua iam dixi a), verum alios caſus in promptu habeo. Laborabant in nobili familia d. G. tres filiae cum filio, variolis ſpuriis, veras bonae notae exacte aemulantibus, non ſine ſymptomatibus moleſtis. Medicus aliquis, auia, pater, mater, amici, amicae, ludimagiſter, gerula, famulitium omne, de bonitate variolarum verarum, ſpe recuperandae ſalutis, et ſuperandi morbi, quem ſemel ſuperare oportet, ſibi inuicem, aegrisque gratulabantur. Ego renitebar ſolus, variolas non niſi pro ſpuriis me habere conſtans declarabam, omnibus contradicentibus, adeo vt reluctari deſinere deberem, ſaltem pronunciata ſententia, veras olim certe adfuturas. Praeteribant tres ſolidi anni, en autem praeter expectationem, ſuum

a) l. c.

aduen-

aduentum moleſtioribus ſymptomatibus praedicebant verae, tota familia petebat veniam, ſuamque priſtinam deprecabatur incredulitatem. Filiarum vna a diſcretis, altera a cohaerentibus ſine multo labore liberabatur. Tertia, ob confluentes, ingens vitae diſcrimen inibat. Sed maius adhuc erat fratris vnici periculum, licet diſtinctis ſaltem laboraret. Etenim, non obſtante legitimo in reliquis per omnia ſtadia decurſu, a primo inſultu vsque ad diem 12. ſine remediis, et regimine calidis, ſui haud erat conſcius, et delirabat, ita vt meningibus puſtulas inſidere, haud ſemel autumarem, feliciter tamen ſeruabatur. Mentionem adhuc breuibus faciam filiae decennis, ſpectabilis inter noſtros Mercatoris itali, M. Adfui ipſi ante 6. annos poſt alia mala variolis ſpuriis laboranti, cum duobus Collegis, vno me ſeniore, altero iuniore. Hic mecum faciebat circa diagnoſin, ille non niſi veras cum omnibus adſtantibus in ore habebat. His diebus exacte veris corripitur puella, quas ille, ſi viueret, praefracte pro naturalibus ſecundis declaraturus foret. Similes hiſtorias plures ad-

 ſcri-

ſcriberem, ſi iis opus eſſet. Conſtat interim ex his omnibus, non ſatis valida eſſe teſtimonia aegrorum, ſi praecipue puſiones laborauerint, nec agnatorum, nec parentum, quin et quorundam Medicorum, neque ab iis tuto concludi poſſe ad morbum duplicem; ſi enim hi falli queant, adſtantes falli et fallere tanto citius poterunt. Colophonem meis notatis circa hoc argumentum imponant conſideratu digniſſima verba HVXHAMI a): *Virus variolarum*, inquit, *illorum qui morbum iam ſuſtinuere, cutim ſaepe adoritur, multasque puſtulas exire facit, veris et duratione, et modo, quo incrementum capiunt, et ad maturationem pergunt, ſimillimas, abſente interim febre. Hoc ipſum iis* SAEPISSIME *euenit, qui inter aegros verſantur, et eorum curam gerunt, maxime ſi ſenſibilem cutim nacti ſint. In his caſibus infectio ſaltem aggreditur eius glandulas, non vero tranſit in ſanguinem, qui mutatus a primo contagio, ſemel eo excuſſo, non amplius ſeſe vinci, et deprauari a veneno patitur.* En ponderoſum ſatis contra veram iterationem verarum variolarum argumentum! Sed et ante aliquot menſes

a) *de Variolis* p. 7. et 8. *Edit. Germ. Monachii* 1757.

menſes Pariſiis eam oppugnauit Cel. ANONYMVS, refutatis publice quaeſtionibus, quas contra Inſitionem mouerat Anonymus alius. Hic prouocat ad Seniorem Facultatis Med. Pariſ. Cl. *de* LEPPY, qui aegrum bis variolis veris laborare vidit. Ille adducit Practicum Senem, Cel. *de* MOVLIN, qui faſſus eſt, ſe tales nunquam obſeruaſſe, atque dein ſpurias cum veris etiam a Medicis confundi ratus, citat Cel. KIRKPATRIK, TISSOTVM, Cl. WERNERI diſſertationem, *de cauſa cur homines ſemel ſaltem variolis laborent*, locumque quendam, huc facientem, a me ipſo beneuole mutuatur, et Syſtemati Cel. *de* ROBERT, quod habetur in Journal encyclopedique 1763. Oct. de vnitate verarum variolarum ſubſcribit a).

a) *vide Verſionem Wetſchii p. 38 ſeq. et 45.*

  

His ita excuſſis, credo, aliud quid a me vix expectabis, EXPERIENTISSIME HAËNI, quam vt Tuas hiſtorias, de primis et ſecundis variolis naturalibus, ſiue alienas, ſiue proprias, in dubium vocem, tuosque teſtes numero XXVI et plures, non ſatis idoneos declarem. Noli vero, obteſtor Te,

citius de mea mente iudicare, quam eam expoſuero. Merebantur adduci, quae adduxi; meretur arrectis auribus audiri modo laudatus HVXHAM. Dantur tamen regulae, ſecundum quas ſpuriae et verae poſſunt diſtingui, et diſtinxi eas ipſe ſat accurate, Illuſtr. HALLERO et LINNAEO, quos ob ſummam in diſtinguendo peritiam merito extollit TISSOTVS (Lettre p. 92.), multum inferior. Neque vt recte, animo pauliſper commoto mones, licet ludere cum arte ſeria, bonisque artificibus a). Eſto! per ea, quae diſputaui, conſtare, numerum hominum variolis bis laborantium minuendum eſſe, et ſpurias pro veris non raro haberi potuiſſe, et habitas eſſe. Tu vero auctoritate praeſtantiſſimorum Virorum, pluriumque, quam pro ſe militantes coordinauerat eximius TISSOTVS, et tua propria euincis b), *pluries*, *ſaepius*, *multoties*, occurrere homines, qui bis, ter, imo quater, veris variolis laborent. Intra 12. annos quinquies recurrentes inuenio *in Act. N. C. Dec. II. Anno VI. Obſ. 9.* et ſeptima vice iis cruciatam tumque abreptam annoſam valde foe-

a) *Quaeſt. p. 69. in fine et ſeq.*

b) *Quaeſt. § 4. et Refutation. p. 1-39.*

foeminam apud BORELLVM *Cent. III. Obſ. 10.* Abeſſe ab acie tua, quam inſtruis, ſine tuo detrimento poteſt Cl. *Cantwel*, qui Inoculator olim, deinde apoſtata, Inſitionis Fautoribus placere nequit. Non tango Tuam ipſius defenſionem a). Scio inter alia ipſum aſſeruiſſe, in Gallia non rarum eſſe, homines plus ſimplici vice decumbere Variolis, et plures hiſtorias ſuppeditare, vt hoc probet. Verum apud SCHVLTZIVM b) lego, multos expertiſſimos Practicos in Gallia hoc negauiſſe. De cuius integritate et fide vis vt dubitem? Sed omnium, aut plurimorum ſaltem, qui Tecum faciunt, ſuffragia admitto, et rata habeo. Ipſe BOERHAAVIVS (in Comment. ad Aph. 1381.) in ea fuit ſententia, qui diſcretas habuerunt, adhuc confluentibus laborare poſſe. Si narratiunculas ſubminiſtrares a foemellis et aniculis congeſtas, ſi teſtes auritos produceres, ſi a Medicinae ſacris alienos aſſertores cumulares, ſuſpicioni et oblocutioni locus eſſet. Verum, adductis teſtibus tuis numero XXVI. omnibus, Tibi, Practicis tribus celebribus Batauis, Medico cuidam Pariſiis claro, Viris

a) *pag. 34.*

b) *Part. II. pag. 167. Not. 46.*



egregiis, SABITZ, HOLTZBAVER, MOLINARI, Magnifico *de* FETZER et KESTLERO fidem derogare velle, atque ita edicere, quod omnes variolas ſpurias a veris diſcernere nequiuerint, vel neglexerint, id certe abſonum, inſulſum, et temerarium haberem. Si quam rigoroſiſſime, ſecundum omnes regulas logicas, probabilitatem hiſtoricam examino, ea hic omnino naſcitur, atque requiſitis neceſſariis ſenſualibus omnibus coëuntibus, per factorum euictam exiſtentiam, ad dignitatem Veritatis aſſurgit, cui amplius nil dubiae fidei adhaeret. Non, opinor, de eius perſpicuitate amplius ancipites haerebunt, aequi omnes et iuſti Inſitores. Equidem de omnibus dubitandum voluit CARTESIVS, ſed prudenter dubitare decet. Si ad adſtructam a Te veritatem, *plus quam rarius, bis euenire Variolas*, extenderetur irrationalis aliquis Pyrrhoniſmus, ei inhaerentes ablegarem ad Venerabilem *de* HALLER, *de illa Secta, quae de omnibus dubitat*, elegantiſſime differentem. Neque pertinacia haud admittere volens ſibi aduerſa, eapropter eorum exiſtentiam et valorem

facit

facit ceſſare. Certum interim eſt, aeque bonos, et honeſtos, et publici boni ſtudioſos habendos eſſe Viros, duplices variolas vel negantes, vel admittentes. Illi eas ſine dubio vere non obſeruarunt, aut ex praeiudicio praeteruiderunt; hi nimis viſibiles ſibique quaſi obuiam incedentes, non potuerunt non ſuis oculis vſurpare. Quodſi vero etiam Iteratio eſſet rarior, a raritate ad non exiſtentiam, non poſſet valere concluſio. Dantur morbi, aliorum reſpectu, apprime rari, a multis veteranis Practicis haud viſi, Diabetes, Catalepſis, etc. ipſam veram inflammationem hepatis rariſſimam eſſe, peculiari diſſertatione probauit HOFFMANNVS; an vero proinde morbi hi pertinent ad entia rationis? Stat ergo Tua Theſis ſalua, neque eidem quicquam detrahit Meadianum aſſertum, foetum manere per omnem vitam immunem, ſi editus fuerit a matre variolis iam ſuppurantibus laborante. Eatenus enim ſaltem immunis erit, ſi ad duplices variolas natura non fuerit diſpoſitus. Neque feriet Te, eius hiſtoria, matris gravidae, cuius foetus in vtero variolis laborauit, ipſa, quae

eas iam experta erat, ſoſpite manente. Nam et haec mulier per idioſyncraſiam ſuam non fuit diſpoſita ad duplices, quemadmodum hominum plurimi. Potuit, quia iam ſemel laborarat, ea propter virus, licet inhaereret eius ſanguini, eidem adiaphorum eſſe, quale foetui non erat. Nulla vero concluſio ex hoc caſu elici poteſt, omnes homines perinde non bis variolas pati poſſe, quemadmodum haec mulier, aliorum corporis habitu in firmis et fluidis aliter conſtituto. Quodſi etiam prorſus ignoretur modus, quo ipſa, ſe illaeſa manente, communicauit foetui virus, et explicari nequeat, nil tamen fidis obſeruationibus de duplicatis variolis proinde decedit. Iam vero ardua inquiſitio ſuſcipienda eſt, an ſtante veritate, veras variolas non raro bis, ter, inuadere, inoculatio aliquid perdat de ſuis laudibus, an minus? Nollem ego illis tantillum detrahere. Verum ſi quid video, quando vltro, et bona voluntate, et deliberato conſilio, inter tria fulcra, quibus illa tota innitatur, a Celeb. TISSOTO vnum ſtabilitur, *certitudo, non amplius redituri mali, ſi ſemel ſuperatum ſit*,

omni-

omnibus insitoribus in hoc elogio consentientibus a), quodammodo id fulcrum in ruinam vergere videtur, rerum vsu contrarium docente. Atque de eo fulcro ego fere metuere incipio, vbi forte per accuratiorem obseruationem, et repetitam experientiam increscat numerus hominum, bis variolis affectorum, nisi potenter succurrant, quorum interest. Adest intrepido animo Ill. TISSOTVS, vrgetque, si certum fuerit, bis aliquibus naturales euenire variolas, bis esse inoculandas b), vt iam in antecedentibus retuli, ne vnquam cum prauis symptomatibus inuadant. Optimum est hoc consilium, fateor, si vniuersalis experientia annuat, inoculatas nunquam comitari praua symptomata, quod ego hic adhuc in medio relinquo. Tu interim et in *Refutatione gallica* c), et in *Responsione ad meam epistolam apologeticam*, exemplis euicisti, nequaquam, vt supponitur ab insitoribus, secundas variolas naturales, primis semper esse benigniores, verum saepe multo peiores. Id illustris virgo p. 11. 12. Comes iuuenis a. p. 13-16. Comes alius p. 17. aegrique magnificorum

a) *Inocul. justifiée §. 21. idem Iurin Relation du Succès de l'Inoculat. p. 9. 11. Chais essai apologetique p. 55. Kirkpatrik p. 119. Journ. britannique par Maty 1754. Nov. Dec. p. 424.*

b) *Inoculat. iustif. §. 7. et Lettre pag. 98.*

c) *p. 37. 38.*

 Viro-

   

Virorum, FETZERI et KESTLERI a), abunde probant. Insuper Tu ATTENTISSIME HAËNI, prouocans ad ipsos insitionis patronos, negas, ipsam semper benignas variolas parere, de qua re alibi Tecum dispiciam. Verum aliis adhuc armis defensurus suam inoculationem, insurgit Cel. *de la* CONDAMINE b), quem imperterrito placidoque vultu perorantem, audire iuuat. *Nil attinet*, inquit, *nouisse, an naturali via homo bis variolis laborare queat. Ponamus hoc euictum esse, non tamen inde sequeretur, post insitionem illum eidem morbo adhuc expositum manere. Sub certis circumstantiis, naturales causae aegritudinis, semen variolarum in quodam corpore non penitus euoluunt, ita, vt sufficiens fomes pro iteranda suo tempore fermentatione adhuc restitet. At non sine magna probabilitate asseri potest, materiam variolarum per virus eiusdem ingenii, quod vulneris externi beneficio sanguini insinuatur, eousque actiuam reddi, vt plenarie et quoad omnes particulas euoluatur, atque vt nihil prorsus de eadem, pro secunda aliqua euolutione, amplius supersit.* Agam de hac sententia belle supposita, sed

a) *pag.* 21.

b) *Commentatione de Inoculatione Variolarum publice lecta Parisiis* 1754. *quae habetur in Promptuario Hamburgensi, Tom. XVII. Parte I. vide p.* 42. 43.

ſed non euicta, alibi. Verum ſine omnibus ratiociniis, quibus alia opponi poſſunt, nonne hoc ſufficit ad timorem excutiendum, ne forte variolae aliquando redeant, quod per triginta, et quod excurrit annos, ex quo inoculatio in Anglia adminiſtrata fuit, aſſerente Cel. *de la* CONDAMINE a), qui ad TIMONE, PILARINI, IVRIN, *Lettre de Richard Wright*, *et de Perrot Williams prouocat*, nullum exemplum produci potuerit, vllum, qui variolas inſititias ſemel ſuperauerit, in hunc morbum denuo, vel contagio naturali, vel artificiali, delapſum fuiſſe?

a) *Part. II. Obiect.* 2.

Videntur haec obſeruata tollere feliciter omnes difficultates, quae inſitioni a duplicitate variolarum enaſcuntur, operae pretium igitur erit, in veritatem eorum quam ſtudioſiſſime inquirere, atque Tecum, PRAESTANTISSIME HAËNI, pergere ad argumentum, quod habet

QVAE-



QVAESTIO II.

Danturne variolae naturales post insitiuas?

Hoc constanter negant inoculationis Patroni ad vnum pene omnes. Nubem Virorum, omni existimatione dignorum, contra Te STRENVISSIME HAËNI militare video. Animosum agmen ducit Cel. KIRCKPATRIK a). Hic omnimodam securitatem post insitionem probat, et illam deducit ab ipso principio receptionis eius in Anglia, cum experiundi causa instituerentur in hominibus, qui ob turpia facinora vita priuandi erant. Inter eos *Richard Euans*, qui vno anno antea in carcere variolis laborauerat, insitionem frustraneam expertus est, atque *Elisabeth Harris* post inoculationem, curam gessit duorum, ac deinde 20 aegrorum, variolis laborantium, secura manens. Prouocat simul KIRCKPATRIK ad *D. Nettleton*, inoculationi olim subiectos pueros, aliis aegris naturalibus adfectis, in eodem lecto accubuisse postea, neque amplius infectos fuisse, asserentem. Refert deinde

a) *Sect. V. p.171 (Germ. edit.) seq.*

deinde, ſe nouiſſe virginem, *Bather*, 12. annorum, quae aliquibus ſeptimanis poſt inoculationem ſibi ipſi ſtudio vulnus denuo infligebat, et ter per tres dies ipſi pus immittebat, atque 8 diebus elapſis leuiter quidem aegrotabat, per aliquot momenta, febris et variolarum expers. Porro, inuehitur in illos, qui contraria exempla de iterata infectione antea inoculationem expertorum, malitioſe in publicum diſſeminarunt, quales hiſtorias ad ſe delatas, ipſe, accedente legitimo circumſtantiarum exactoque examine, falſiſſimas deprehenderit. Non poſſum hic, dum a ſtudio partium alienus, aequitatem colo, dememiniſſe experimentorum inſtitutorum cum pueris, ſuperata inſitione in lectulos eorum, qui naturalibus laborabant, decumbere iuſſorum, nec non periculorum factorum per repetitam inoculationem, ſemper ſine noua eruptione Variolarum, qualia memoratu digna leguntur apud IVRIN a), CHAIS b), MATY c) et alibi d). Non igitur miror,

a) *Relation du Succés de l'Inocul. traduite de l'Anglois a Paris 1725.*
b) *Eſſai apologetique p. 55.*
c) *Journal britannique Nov. Dec. 1754. Art. IX. p. 424.*
d) *e. g. apud Schultze Part. II. p. 143. 144.*

miror, adeo confidenter pronunciare Cel.
a) *Inocul. iustif. §. 21.* TISSOT a), inoculatione perfunctum ab altera inuasione securum esse, cum variolae
b) *et §. 65.* bis non affligant, et alibi b) audacter asserere: triginta annorum experientiam vanum timorem illum fugauisse, quod insititias olim naturales excipere queant; ne vnum dari ex inoculatis, qui denuo variolas in suo corpore viderit; nec vnicum exstare exemplum, quod inoculatio bis repetita bis variolas produxerit, omnia argumenta hostium insitionis circa hoc momentum ficulnea esse; non amplius possibile esse, vt in hac re erretur, cum euictum sit, inoculatas variolas in perpetuum a naturalibus liberare. Atque prorsus eadem affirmat, asseuerat, et vrget Eru-
c) *in Commentatione sua Part. II. responsione ad obiectionem II.* ditissimus *de la* CONDAMINE c), experientiam allegans 30 annorum, qua constet, neminem post inoculationem variolis iterum aegrotauisse, hancque veritatem ne quidem per fraudes, ab hostibus insitionis inuentas, potuisse dirui, vt nec per effictas litteras alicuius *Iones*. Aliquibus deinde interiectis, expressis verbis *inoculationem se ipsam oppi-*

gnorare

gnorare ait, *pro ſecuritate a variolis per omne reliquum vitae tempus* a); et rurſum alio loco: *Londini hodie euictiſſimam veritatem eſſe* dicit, *quod inoculatio praeſeruet a naturalibus* b). Praeter intrepidos hos inoculationis promachos, alius, viribus ipſis haud inferior, Cel. SCHVLTZIVS c), ad quaeſtionem, *denturne variolae naturales, poſt inſitiuas?* negatiue reſpondet, et in ampliſſima inoculationis praxi ne vnicum exemplum in contrarium dari dicit, pluresque affirmantes hiſtorias omni opera confutare molitur. Notatu dignum eſt, quod Cl. WETSCHIVS exiſtimet, naturales maligniores bis affligere poſſe, poſt inoculationem autem nunquam hoc euenire, *in Praef. p. 13.* Nunquam naturales inoculatis ſuccedere, etiam aſſerit *Anonymus Gallus*, cuius ſchediaſma laudatus WETSCHIVS in vernaculam linguam tranſtulit, in quo teſtimonia D. *Wagſtaff, Clinch, et Cantwell*, contrarium adſtruentia, falſa eſſe, ita vt nomina etiam ficta habeant, demonſtratur. Omnes autem, quos adduxi, meritis ſuis minime defraudandi, *Cele-*

a) *p. 51. Verſionis Germ. in Promptuario Hamburgenſi.*

b) *pag. 66.*

c) *Part. II. p. 164. 165.*

Celeberrimi Viri, et alii multi, mitius paulisper suam sententiam, quanquam mascule tuentur, sed durioribus verbis vtitur summae auctoritatis Medicus, arte et senio venerabilis, MEAD a), quae, dum et vnam et alteram partem audio, vt veritatem assequar, haud negligere possum. *Quod autem ad illos spectat*, inquit, *qui variolis arte factis perfuncti, iis tamen denuo laborasse dicantur, ipse profecto, summa licet diligentia adhibita, ne unum quidem documentum, quo id satis constaret, adhuc rescire potui. Scio interim, iactari passim, maxime a nupero quodam Auctore, historiolam, de puero, in quo tribus circiter annis elapsis, postquam ab insitione morbum contraxerat, de nouo proruperunt variolae. At noui etiam, dubiae admodum fidei esse hanc narrationem. Vt dicam igitur quod res est, si tale quid semel euenerit, cur non frequentius idem contingere videmus? Aut quid valere debet singulare exemplum, certum licet, et exploratum, cum in aliis fere innumeris id genus experimenti, nihil tale vnquam vsu compertum sit? sed tenet nonnullos insatiabile scribendi*

a) Cap. III. p. 67. 68.

bendi cacoëthes, et immenſum aliis, quibus inuident, contradicendi ſtudium. Demus ergo illis hanc veniam, vt ſua fruantur κενοδοξίᾳ. Audio hos Duces, ſequentes inoculatorum multos, fere ita perorare: Quodſi inter 100 inoculatos ſint duo ſaltem, qui deinde naturalibus infeſtentur, 98 erunt in vado. Sique his duobus eueniant Variolae benignae et opportuno tempore, nil nocuerit antea inoculauiſſe, ſi modo euadant, quod filio Legati, et foeminae Raſtii, a Te commemoratis, accidit; ponatur, eos mori naturalibus variolis, tum artem effeciſſe, quod potuit, vt ſalutem et vitam eorum in vado locaret.

  

Quid reſpondes, ILLVSTRISSIME HAËNI! tot grauibus Viris adeo emphatice contra Te declamantibus? Tu, his fulminibus Te haud perterrefactum eſſe, publice oſtendis. Cur tam pauca exempla naturalium variolarum poſt inſitiuas publicae lucis fiant, exinde deducis a), quod Inoculationi dediti veras pro lubitu ſpurias declarent,

a) *Quaeſt. p. 71. 72. 73.*

et teſtimonia dubia a nutricibus, cubiculariis, paedagogis, petant, Medicosque maleuolos et deceptores potius appellent, quam permittant, vt fama Inſitionis cadat. Deinde alia occaſione a), praecipue ex diſſertationibus Cl. *Cantwel* exempla allegas, poſt inoculatas ſecutas fuiſſe naturales. Nolim ego illa in dubium vocare, optarem ſaltem, vt alios haberes teſtes, quam auctorem, de quo ipſe largiris b), quod quaedam eius hiſtoriae ſat bene refutatae ſint, quo ipſo aliqua ſpes remanet, alias, quas tu hactenus vt nondum refutatas ſiſtis, forte etiam bonam partem refutari poſſe. Verum eſt, vt memoras c), non deroganda fides videtur homini, qui ſcribens adhuc haeſitabat, an ſe pro Inoculatione declararet, an illam repudiaret; at cum tandem tamen Inoculatorum caſtra transfuga reliquerit, hi ſemper parum eius narrationibus mouebuntur, quaerentque curioſi, cur ab aliquot demum annis nouus hic mos variolis inſitiuis acceſſerit, quod naturalibus ius, hominum corpora aliquando inuadendi, reliquerint, quo antea hae, tot eximiis Viris teſti-

a) *Refut. p. 40. ſeq.*

b) *pag. 39.*

c) *pag. 45.*

testibus, plenarie carebant? Ponderosum deinde pro Te, MAGNIFICE HAËNI, habeo suffragium ERVDITISSIMI TRILLERI a), quando, *Insitionem adeo nostro aeuo vsitatam, carere tamen illo priuilegio*, scribit, *quod inoculatos in perpetuum a recidiua praeseruet*, ID QVOD A MVLTIS SCRIPTORIBVS ANGLIS PROBATVM FVERIT. Porro. Historiam *Francisci Braggiotti*, et filiae *Timoni*, Tu adeo validis sigillis munitam exhibuisti b), vt de veritate rei ipse non dubitet TISSOTVS, verum totum factum admittat, vt Cel. MAKENSIE illud enarrat: ita tamen, vt nihil Insitioni inde metuendum esse credat c). Scilicet diu iam ille caussatus fuerat: Si etiam concederetur, interdum inuadere variolas naturales, post insititias, id tamen non vniuersale esse, neque propterea Inoculationem fore negligendam, cum haec et sine omni dolore, et sine omni periculo adornetur; licet igitur non omnes praeseruet, certum tamen esse, ait, quod maximam hominum partem tutam praestet, et aliorum, quos non praeseruet, conditiones non

a) *in Epist. II. ad doctissimum Hahnium.*

b) *Refutat. p. 48. seq.*

c) *Lettre p. 96. 97.*

   

a) *Inoculat. instif. §. 65.*

b) *Lettre p. 97. 98.*

non peiores reddat a). Eundemque prorsus apologismum alibi repetit b). Belle omnia haec sonant, haud diffiteor, verum, quod Ill. TISSOTI, quem fautorem et amicum meum deamo, et colo, bona pace dixerim, vniuersaliter antea euictum esse debet, quod nullum vnquam periculum Insitionem comitetur, de quo momento adhuc dubitatur, et de quo alibi dispiciemus. Porro Vir eximius non dubitat statuere c): neminem hactenus ausum esse asserere, si insititias variolas aliquando secutae sint naturales, has peiores fuisse, impudente licet praeiudicio, suos tamen hic terminos agnoscente. Verum Tu, mi HAENI, antea iam d), et nunc iterum fidissimis exemplis adductis comprobasti e), secundas naturales fuisse peiores primis; aut ergo admitti debet, etiam post insitionem enasci posse peiores variolas, aut praerogatiua insitiuarum hoc respectu, prae naturalibus, experientiis omni exceptione maioribus, debet adstrui. Quae deinceps in litteris ad Te, HONORATISSIME HAËNI, scripserat comis Tuus antagonista f), natu-

c) *Inoculat. instif. §. 65.*

d) *in Refut. gallica.*

e) *in Responsione ad meam epistolam quaest. 1.*

f) *pag. 89.*

naturales non bis redire, ergo et post inoculationem, nullum metum esse, ne redeant, per ea, quae Tu de reditu saepius naturalium vere animaduerso docuisti, omnino cessant. At cum cura producere debeo aliam eius annotationem, quae plus in recessu habet, et omnino considerari meretur: *Si Inoculatio*, inquit a), *secundum regulas fiat, siue alio tempore denuo variolae eam insequantur, siue minus, nil refert. Praeseruat quippe per omnem vitam homines omnes a variolis naturalibus, iis exceptis, qui, per indiuiduales causas, morbo bis sunt expositi, quorum tamen numerus admodum rarus est.* Sequi exinde, vt nil dissimulem, videtur, propter inoculationem non plures bis laborare, quam laborassent sine ea in actum deducta; sique alterae variolae peiores sint, hoc insitioni praeuiae eadem ratione haud posse tribui, ac variolarum secundarum peiorum incursio primis naturalibus tribui nequit. Neque, his suppositis, amplius de casubus variolarum naturalium post insitiuas, magis, vel minus raris, disceptandum erit, nam eorum fre-

a) *Lettre p. 97. 98.*

quentia et infrequentia fundatur in dispositione corporis ad iteratas, quam nec inoculatio, nec primus decursus naturalis morbi, auferre potest. Si aliquis, raritatem a suo aduersario assertam, et proinde Insitionem oppugnaturus, contenderet, neminem inoculatione perfunctum securum a naturalibus iudicari posse, nisi post insitionem supergressus sit annum 50. quin septuagesimum et octuagesimum, cum et in hac decrepita aetate homines variolis laborare queant a), adeoque de omnibus minimum, ante 50. annum post superatam insitionem mortuis, dubium esse, an non naturalibus adhuc subiecti ex viuis excesserint; nil hac obiectionis specie is lucraretur; nemo enim et a naturalibus secundis tutus erit, nisi hanc vitae humanae metam attigerit. Tandem etiam non video, cur, quoad ipsas historias de iam ob-

seruato

a) *Vide in Act. Med. Berolin. Decad. II. Vol. VII. p. 30. virum octuagenarium. Huc spectat Virgo 84. annorum Geneuensis, Tissot § 26. in notis. Rusticus octuagenarius apud Werlhofium de Variolis p. 22. Senex Riedlini Lin. med. Anno I. Octob Obs. 4. vide et A. N. C. Dec. II. Anno V. Obs. 74. et Dec. II. Anno X. Obs. 93. Variolae vetulae 104 annorum lethales. Dec. I. Anno III. Obs. 163.*

ſeruato reditu variolarum, poſt inſititias, quarum aliquas veras, plurimas falſas habet TISSOT a), cum Tu, ſi non omnes, ſaltem plurimas veras ſumas, et alias veras ſtudio ſupprimi ſuſpiceris b), tam acri diſputatione opus ſit, quando ipſe reditus nec ab artificio praegreſſo, nec a contagio naturali ſemel admiſſo, ſed ab inſita diatheſi corporea proficiſcitur. Veriſſimas hiſtorias agnoſco, de quibus loqueris c), quarum alias Anglia, alias Gallia vidit; largiar Tibi, nullum earundem refutationi locum eſſe. Credo, in verborum conflictu, clariſſimos *Gaullardos* ſilentium impoſuiſſe Eruditiſſimo *de la* CONDAMINE. Non obloquor recenti exemplo, quod teſtem habet vniuerſam Florentiae vrbem, neque relationi Cel. RASTII vllus contrarior, id omne a me abſit. At vero, niſi vehementer fallar, niſi reſidua a morbo meo graui, ne dum ſuperato, virium infirmitas mihi omnem mentis aciem retuderit, ſtante Tiſſotiana Theſi, quod nempe illi ſaltem laborare queant variolis naturalibus poſt inſititias, qui ex diſpoſitione corporea bis naturalibus

a) *Lettre p. 97.*

b) *Quaeſtionum p. 72. et Refut. p. 40. ſeq.*

c) *in Reſponſione ad me ſcripta p. 25.*

 ralibus

ralibus laboraſſent, nec accedit aliquid, nec decedit Inoculationi ex hoc capite, quae tamen, ſi vnitati variolarum tanquam aliquo fundamento ſuperſtruatur, labante hoc, multum perderet. Interim dum ego, aequa animi lance omnia expendens, ita ſtatuo, et dum de quaeſtione agitur: *Num inſitiuas variolas natutales inſequantur*, aequo marte, a Patronis, et hoſtibus Inoculationis dimicari iudico, incerta adhuc vtrinque victoria, niſi vel hic vel illic alia arma praepolleant, Inoculationis amicis illam decretam video a Cl. SCHVLTZIO a). *Si ad quaeſtionem*, inquit, *num Inſitio plus quam naturales Variolae hominem a recidiua praecauere queat, etiam reſpondeatur negatiue, tamen illam non reiiciendam eſſe certum eſt, cum ſaltem eandem ſpem de ſalute futura poſt ſe relinquat, quam naturales Variolae. Minori enim periculo homo per illam exponitur, cum morbus naturalis, non niſi per mortem ſaepe, certitudinem de ſecuritate a recidiua elargiatur.* Huius vero aſſerti, multa cum fiducia publicati, quod nonnulla euicta ſupponit, nondum a me inqui-

a) Part. II. pag. 168.

quisita, et admissa, aequam decisionem, in aliud tempus, locumue differendam esse, facile perspicitur.

QVAESTIO III.

Numquid ab insitione frustra instituta nemo vnquam detrimenti quid capiat?

Respondet Cl. KIRKPATRIK a), frustra etiam instituta inoculatione, per quamcunque causam, et haud comparentibus variolis, nullam aliam malam sequelam oriri. Atque TISSOTVS, *inoculationem subiisse*, ait, *sine subsequentibus variolis, nullum aliud malum post se trahit, quam adstrictum esse ad aliquot dies exactiori diaetae, quae vnicuique homini, certis quibusdam temporibus, valde vtilis foret. Facta incisione, sine erumpentibus variolis, vulnusculum aeque facile clauditur, ac a leuissima alia laesione cutis, et aeger ignorat omnem sine exceptione aegritudinem, ne tantillum mali sentiens* b). Post varia dein exempla, ad quae prouocat, inoculatam materiem variolosam proprie non esse venenum affirmat, sed saltem aliquod fermentum,

a) *Sect. V. pag. 182.*

b) *Inoculat. instif. §. 66.*

quod non operetur, niſi mixtum cum particulis ad ſubeundam determinatam mutationem habilibus, adeoque non magis ab eo metuendum eſſe, quam a guttula lactis aut aquae a). Ita generatim ſtatuunt Celeberrimi hi Duumuiri, cum aliis eorum ſectae addictis, omnesque ſuppeditant obſeruationes ingenti numero, quas huc tranſcribere nolo, quas vero omnes falſas et fictas habere, vt ipſe iudicabis, VIR EGREGIE, nimis durum et iniquum foret. Tu ſaltem ipſis experientias contrarias, non minus veras opponis. Poſt plures obſeruationes in Gallia, quarum aliquas non mei, ſed aliorum gratia adductas vellem, vt innumeris Tibi contrariis, plures fortiorem obicem ponerent, a Cel. RASTIO mutuo petitas, in medium profers infantem, irrita inſitione abſceſſu hepatis demortuum; iuuenculasque binas diu languentes, vnamque earum ſimul colli tumore ſuppurato affectam, donec ſuperuenientibus naturalibus cum ſanitate in gratiam redirent, et iuuenculam Exp. *van* GHERT, quae fruſtra inſitioni ſubiecta, ab

ea

a) §. 67.

ea febre variolofa fine variolis, multisque aliis malis adflicta fuit. Permitte AMICISSIME HAËNI, vt primo in genere, dein in fpecie fincerus exponam, quid fentiam. Apud illos homines, qui fe ipfis et amicis infciis, in aetate tenellula variolas veras iam fuperarunt, atque ad duplices fubeundas haud creati funt, inoculatio mali aliquid patrare nequit; nam nullus amplius fomes, qui admittendus omnino eft, quomodunque illum concipiamus, in corpore eft fuperftes. Coeteri internam difpofitionem ad morbum variolarum, aut prorfus nullam habent, exempti manfuri per omnem vitam, aut fomitem in fuis humoribus alunt, qui fui euolutionem, vel a naturali, vel artificiali contagio certo tempore expectat. Si plane nulla adfit interna difpofitio, pus infitum non poteft turbas dare; nam huius fphaera actiuitatis fphaera receptiuitatis deftituitur. Si vere fomes lateat, qui fe toties inoculatione euolui patitur, in huius adminiftratione poteft vitium commiffum effe; namque fi vlcera decenter fluant, etiamfi paucae admo-

dum

dum enaſcantur variolae, vix virus vel per metaſtaſin ad nobiliora loca deponetur, vel fluctuans in oceano humorum, et ad ambitum corporis haud ablegatum, praua ſymptomata concitabit. Haec, quae ita in genere ediſſerui, ad caſus gallicos applicare nequeo, cum hi me lateant. Cel. RASTII cogitata non poſſideo, ſed ex tuo ſchediasmate ſaltem mea facio. Eius obſeruationes, cum Tua, vt nil diſſimulem, adhuc ceſpitantes, ab inoculatione deterrere poſſunt omnino, quando loco commodorum ſperatorum et mortem, et incommoda multa inducit, quae tantum abeſt, vt eius beneficio auertantur, vt potius ab ea generentur, perdurent, et non niſi naturalibus variolis ſubſequentibus demum cedant. Has obſeruationes omnes minus placituras amicis inſitionis, hi ſuas habeant, videantque an veritatem earum, quam ego agnoſco, euertere, an peccato contra leges methodi culpam deferre queant, omnibus veris circumſtantiis inter ſe inuicem collatis et trutinatis; an poſt laudabiliter peractam et irreprehenſibi-

lem

lem operationem, ipſos rerum euentus admittere cogantur. Si prius praeſtiterint, et non plures ſimiles hiſtoriae eueniant, quae denuo damna loquantur, ſtabit inſitio. Si facta teſtibus ſinceris, fidis, et omni exceptione maioribus, ſint aperta, et irrefragabilia; atque plures ſimiles euentus porro obſeruentur, inſitione legitime inſtituta, haec, ictus hos immota ſuſtinere nequiens, paulisper minimum, et ad tempus titubabit.

QVAESTIO IV.

An eiusmodi fruſtranea inoculatio, potiſſimumque ſi iterato fruſtrata, ſecuritatem homini praeſtet, fore vt variolas via naturali nunquam contrahat?

Id omnes inoculatores, vix vno et ne vix quidem excepto, hactenus, niſi turpiter fallor, vno ore affirmarunt. Ea propter omnia ſubiecta, quibus poſt peractam inſitionem haud erumperent puſtulae, pro talibus declararunt, quae in iuuentute prima, cuius non bene reminiſcantur, vel in vtero materno, morbum iam experta ſint; vel febre

bre

bre varioloſa ſine variolis laborauerint; vel per characterem indiuidualem, et felicem idioſyncraſiam, inhabiles prorſus ſint, vt vnquam varioloſo morbo tententur. Verum quot viri, in inoculando famam adepti, a fruſtra inſtituta operatione certam immunitatem in futurum promittunt, tot etiam illam dextre adornatam et, inflictis vulneribus, exulcerationis deſideratum ſucceſſum ſupponunt. Si, quod interdum accidat, legitime factis inciſionibus, bonoque pure inſito, hae intra paucorum dierum ſpatium iterum conſolidentur, et variolae ſub his conditionibus non erumpant, tum aegrum a periculo liberum non eſſe dicit BVRGES, ne morbus aliquando illum inuadat. Quando autem vulnera ſat diu aperta manent, et iuſto tempore motus febriles ingruunt, etiamſi ne vnica puſtula in conſpectum prodeat, conuictum ſe eſſe dicit, aegrum aeque certum eſſe poſſe, nunquam poſtea ſeſe variolis laboraturum, ac ſi vere poſt inoculationem amplam earum ſegetem, per totum corpus diffuſam, conſpexiſſet. Minimum nullum

Cap. XV.

nullum exemplum in contrarium exſtare pronunciat, etiam tunc, quando data opera ſecunda inſitio adminiſtrata fuit ex metu, ne forte prima imperfecta fuerit, hocque ſuum aſſertum notabili caſu adiecto corroborat. Cel. KIRKPATRIK a) fere adhuc ſecurior, ſi inciſiones ſaltem tantillum inflammentur, et valde exiguus numerus veſicularum, quae mitiſſimum morbum exhibent, in conſpectum veniat, non dubitat, fore, vt in futurum tutus manſurus ſit aeger. Atque hanc ſpem non euanidam et lubricam eſſe, ſed in ipſa experientia fundari, et quod bene notandum, etiamſi repetatur inſitio, probare fuſius nititur Celeb. SCHVLTZIVS b). *Interdum*, inquit, *omnia ſymptomata, eruptionem puſtularum alioquin praeſagientia, cephalalgia, febris, et ſigna ſuppurationis in vulnere inſitionis adſunt, ſed emanent variolae. Septem caſus Londini vidi, vbi poſt repetitam inſitionem, aegris inoculatis, et in noſocomio inoculationis inſuper commorantibus, non eueniebant puſtulae. Vulnus multum pus fundebat, et aegri valde ſudabant. Sine dubio materies puſtularum his ex-*

a) *Sect. V. circa finem.*

b) *Part. II p. 142. 143. 144. 145.*

cre-

cretionibus effluxit, vt nullae euenirent. Prouocat deinceps ad Cl. *le* DVC, puellam commemorantem, cui, bene ſuppurante vulnere, nullae eueniebant puſtulae, cuiusque mater, dubitans, an in poſterum libera futura ſit, anno ſequente repeti fecit inoculationem, ſed iterum nullae puſtulae. Pergit SCHVLTZIVS: *Hawkins, Chirurgus regius, in filio Cancellarii York inſitionem talem inſtituit, nullis ſequentibus variolis. Interim ego pus ab eiusmodi perſonis deſumptum, quibus per inſitionem nullae procreabantur variolae, in aliis ipſas excitaſſe, aliquot exemplis vidi.* WALL, *Chirurgus Noſocomii pro varioloſis, inficiebat puerum ſeptem annorum, materie puris ex vulnere feminae petita, quae ipſa poſt inſitionem ne vnicam puſtulam naſcentem viderat. Magnus tamen erat numerus diſcretarum variolarum, in hoc puero.* MIDDLETON *viro 32 annorum inoculationem adminiſtrauerat; hic nequaquam aegrotabat, et nullas nanciſcebatur variolas, vulnus interim ſuppurabatur. Vt ergo certior fieret* MIDDLETON, *aegrum ſuum in poſterum tutum futurum, materiem ex eius vulnere deſumſit, et inſeuit infanti,*

fanti, et ecce in eo vere exoriebantur variolae. Concludit tandem ex his omnibus SCHVLTZIVS, febrem variolofam effe poffe fine variolis, cum contagio naturali praegreffo aeque interdum emergant puftulae duae vel tres, ac alio tempore earum duo, vel tria millia. Quanquam vero alii infitores omnes, vnam operationem, fi vulnera decenter fuppurauerint, ad fecuritatem futurae vitae plenarie fufficientem, et omnino certam ftatuant, et ad innumeras experientias ea propter prouocent, tamen cum vna infitio vitio laboraffe, aut rite peracta, vt vt raro, fomitem altius radicatum haud extricauiffe potuerit, modo laudatus SCHVLTZIVS, nonnifi bis inftituta eadem homini fecuritatem praeftari, largitur, fore vt naturales variolas nunquam contrahat a). At poft repetitam inoculationem, certiffimum effe affirmat, quod nemo hominum amplius variolas metuendas habeat; quod duplici operatione perfunctus deinceps tutiffimus verfari queat inter aegros variolis laborantes, quos, fi amiciffimi fuerint, antea vitare debuit, quodque in magnis ciuitatibus, graffantibus grauibus

a) *pag. 141.*

 epide-

  

epidemiis, intactus perstet. En omnia largientem SCHVLTZIVM, circa limitanda inoculationis priuilegia, quae aliquis poterat desiderare. Tu, DOCTISSIME HAËNI, ne in his acquiescens, non saltem semel, sed etiam iterata frustrata inoculatione, hominem ab vlteriori periculo non absoluis, ac contrarium potius, stringentibus hercle historiis, quibus difficulter aliquid obiici potest, iam probas. Si *Rastii* binas puellas aliquis negligendas duceret, quas ego non negligo, ea propter, quod Vir celeberrimus Antagonistam insitionis sese profiteatur, alia exempla habes, memoratu et consideratu dignissima. Quis enim, si ipse Ill. *de la* CONDAMINE, tantus Inoculationis Protector, contraniti nolit, sed vltro recenseat, naturales variolas, aliquot annis post frustra institutam insitionem obortas, Tibi, alios casus idem illud comprobantes adferenti, contradicere auderet? Quis decretum Cl. MATY, et summorum Medicorum Londinensium, super casu, qui Hagae Batauorum accidit, sine rubore annihilare aggredietur? Quis alia exempla similia, Londini visa, figmenta et nonentia

entia ſalutabit? An in omnibus his caſibus rudis et vitioſa fuit inſitio? Vix crediderim. Suppono ſcilicet, in omnibus his perſonis, de quarum inſitione fruſtranea ſermo eſt, vulnerum inflictionem, ſufficientem ſuppurationem, et non praematuram conſolidationem, inſecutam fuiſſe. Si conſolidatio nimis cito facta, (quod in ſecunda inoculatione puellae Haga-Batauae accidiſſe videtur,) nemo peritorum Inſitorum ſponſor futurae ſecuritatis exſtitiſſe potuit. Si vero vlcera inſitionis ſat bene et ſat diu fluxerint, ignoro ingenuus, quomodo hic ſeſe extricare molientur inſitionis amici, illaeſa auctoritate fidei hiſtoricae, quam, a Viris cordatis et bonis profectam, Viri aequi et iuſti haud impugnare ſolent. Totus ardeo videre celeberrimorum Inoculatorum monita, contra fidas has obſeruationes, ſtabilitis ab ipſis principiis contrarias, qui armis, quibus illi forte inſtructi eſſe poſſunt, deſtituor. Raritatem caſuum, quod vnam vel alteram inſitionem fruſtraneam variolae nihilominus inſecutae ſint, ſine dubio Tibi, VIR CELEBERRIME, opponent, ſed exinde inconſtans

et imperfectum solamen. Siccine enim post Inoculationem, siue successum sortitam, siue incassum tentatam, omnis abest certa et absoluta securitas, ne tandem aliquando pusio et adultus; serius, ocyus; domi et foris; terra marique; praeparatus et non praeparatus; Medico propinquus et ab eo remotus; opportuno et minus opportuno tempore, iterum Variolis mulctetur. Siccine illa immunitas, quam, excussa semel fatali necessitate, pro reliquae vitae dulcedine adeo merito extollunt, et inter eminentiores praerogatiuas operationis reponunt Insitores, non absoluta est, ac licet etiam rarius infestetur, infestari tamen et potest, et solet. Nonne, quando cortex Peruuianus, abacta febre, post aliquam temporis intercapedinem denuo exhibitus, ad arcendam recidiuam, hac certa virtute destitutus deprehenderetur, perderet bonam partem laudum, quas meritus est hactenus? Videtur fere contagio, vt ore hausto, et ita insito, non semper ius esse extricandi morbi fomitem, si nempe natura renuat, licet ille vere latitet, aliquando certo extricandus. Vtinam saltem illud euictum reddi pos-

poſſet, ab irrita inoculatione, euocata quomodocunque per inflicta vulnuſcula aliqua parte minerae morboſae, hoc minimum emolumentum redundare in hominem, vt Variolae, nihilominus aliquando oborturae, ſint mites et facile ſanabiles. Sed et ſecundas naturales, et naturales, poſt inſitionis ſucceſſum ad vota obtentum, ſi aliquando ingruant, peſſimas eſſe poſſe, ex notatis ad quaeſtionem primam et ſecundam conſtitit.

QVAESTIO V.

Num inoculatae Variolae febrem, eamque cum maxime ſuppuratoriam, ignorent, paſſimque et diſcretae ſint, et benignae?

Rectiſſime mones, VIR PRAESTANTISSIME, centenos Scriptores de Inoculatione id felicitatis genus ipſi conſtanter attribuere, quod febrem ſecundam conſtanter auertat. Nominaſſe Tibi ſuffecit D. RANBY, HAWKINS et MIDLETON, quorum auctoritate motus D. MADDOX in Oratione panegyrica, inter alia, et hoc momentum auditoribus expoſuit. Patere, vt, Lectu-

rorum gratia, quorundam aliorum Illuſtrium Virorum, Inoculationi fauentium, conſpirantia aſſerta breuibus adducam. Febrem ſecundam rariſſime variolis inſititiis accedere, aſſerunt KIRKPATRIK a), BVRGES b), SCHVLTZIVS c), *de la* CONDAMINE d), etc. Deinde Ill. TISSOT e), per ingentem numerum obſeruationum euictum eſſe, ſcribit, poſt Inſitionem vel non exiſtere ſecundam febrem, vel ne vnico moleſto ſymptomate ſtipatam eſſe. Inſititias Variolas ſemper bonae indolis eſſe, auſus quoque fuit aſſerere Cl. WETSCHIVS Viennenſis, *in Praef. p. 12*, atque ANONYMVS GALLVS, cuius in vernaculam verſo ſchediaſmati eam praemiſit, inſititias non niſi diſtinctas eſſe affirmat, quibus per naturam forte olim confluentes futurae feliciter auertantur f). Summi momenti hanc rem haberi debere, nemo non ſtatuet, qui omne Variolarum ingenium perſpectum tenet, atque qui nouerit, febrem ſecundam exacte ſeſe habere, vt ſe habet paucitas et multitudo Variolarum, purisque ipſis contenti vel benignitas, vel malignitas. A ſola quippe confluentium et confluentiſſimarum

a) *Sect. X. circa finem.*
b) *Cap. X.*
c) *Part. II. p. 136.*
d) *Part. I. circa finem.*
e) *§. 45. Inocul. iuſtif.*
f) *pag. 53.*

marum Variolarum innumerabili congerie, purisque et ſaniei immenſa copia ſanguini admiſta, omnem febrem cum diris ſuis ſymptomatibus, omne periculum et ipſam mortem SYDENHAMVS, BOERHAAVIVS, aliique optimi de Variolis ſcriptores deducunt. Quodſi itaque Inoculatio pauciores ſemper et benigniores ingeneret Variolas, experientiis confluentiſſimis collineantibus, aberit omnino ab eadem in totum venefica illa et internecina febris. Atque haec omnia conſtanter et audacter aſſeuerant practici Inoculationis Encomiaſtae. *Febris*, inquit TISSOTVS a), *ſuppurationi variolarum naturalium accedens, ſemper eſt in ratione numeri earundem, ſique hic ſit exiguus, febris vix animaduertitur. Non ergo mirum, variolas inoculatas fere nullam febrem comitari. Illi ſaltem, quibus valde multae variolae erumpunt, eidem ſunt expoſiti, ſique vulnera largiter ſuppurent, haec ſalubris excretio multitudinem praecauet. Ea propter inoculatae variolae hac prae naturalibus gaudent praerogatiua, quod ſi in vtroque caſu par fuerit variolarum numerus, inoculatorum febris tamen ſit mitior.*

a) *Inoculat. iuſtif.* §. 45.

Prouocat deinde ad Cl. GVYOT, qui inter 20. aegros, quibus variolas inſeuerat, vnicam iuuenculam ſaltem vidit febre laborare, quia vulnera fere nil puris ſuppeditabant, ſanitate tamen nihilominus redeunte. Non aliter Illūſtr. *de la* CONDAMINE a): *Quo maior copia puris*, ait, *ex vulneribus profluit, eo pauciores prodeunt variolae, eoque magis a ſe inuicem diſtant, cum in naturalibus quaeuis particula morbificae materiae ſingularem ſuam producat puſtulam, quare toties confluentes fiunt et periculoſae. Inter omnes variolas Geneuae, per inſitionem creatas, vix ſemel eas confluxiſſe obſeruatum fuit.* Addam adhuc laudatis his binis magnis inſitoribus Cel. SCHVLTZIVM b), qui hoc inter priuilegia inoculationis refert, quod nunquam ab ea variolas contiguas, nedum confluentes, obſeruauerit. Haec omnia, ſi ita ſeſe habeant, nonne iure pronunciauit Doctiſſimus TISSOTVS c), ſolam hanc conſiderationem ſufficere intelligentibus, ad commonſtrandam inſitionis praeſtantiam, quippe qui norint, febrem ſecundam, confluentibus praecipue accedentem, vnice deleterium

a) *Part. I. circa finem.*

b) *Part. II. p. 127. 128.*

c) *l. c.*

terium variolarum ingenium excludere. Verum enim vero, Tu, EXCELLENTISSIME HAËNI, eiusmodi encomiis, magnam ſane, quod negari nequit, ſpeciem habentibus, non moueris, ſed aliter ſtatuis, et contrarias experientias intrepido auſu allegas. Habes primo puellam Haga-Batauam, quae poſt inſitionem a 150 variolis, febrem ſuppuratoriam 5 dierum experta eſt. Rarus eſt hic numerus ab inoculatione. TISSOTVS a) in facie 9. 10. 15, ad ſummum 20. vel 40. puſtulas comparere notat. *De la* CONDAMINE interdum virus pene omne per duo vulnera effluere ſcribit, ita, vt vna ſaltem vel binae puſtulae emergant, vel et nulla, atque quo liberior et copioſior puris fluxus fuerit, eo pauciores variolas erumpere, aegro nihilominus in futurum ſecuro reddito b). SCHVLTZIVS largior, ordinarie 30 ad 50. raro 300 vel 400 variolas in toto corpore inoculatis erumpere recenſet, quae tamen pro paucioribus naturalibus habendae ſint. Ego per multiplicem experientiam noui, aegros, benigniſſimis diſcretis affectos, plures tamen habuiſſe variolas, quam primo intuitu

a) *§. 44. In-ocul. iuſtif.*

b) *Part. I. circa finem.*

 aliquis

aliquis exiſtimaſſet. Omnino ſaepe numerus minor eſt, ſat ſaepe tamen etiam in facie ſola ad 50. 60. quin 80. excurrit, magnis omnibus, et a ſe diſtinctiſſimis. Vt adeo in tota ſuperficie corporis facile ad 200. et vltra progrediatur. Iam, DILECTISSIME HAËNI, ex tuis 150 variolis, 50 mihi liceat locare in faciem, a qua vel magis vel minus obſita, morbi periculum et ſecuritas pendet, et, Te ſine dubio annuente, ſtatuere, variolas 150 omnes, non alias eſſe potuiſſe quam valde diſtinctas, ſane confluentibus praeſentibus, plures quam 150, non raro in vna manu, et apud amatiſſimam BEVCHELIAM in vno dorſo tenellulae manus numeraui, cum exiguae et ſibi adunatiſſimae prodirent. Pulchre memini, me a 300 et longe pluribus iunctim computatis, vbi omnia vt decebat acta ſunt, et alui praecipue libertas tempore ſuppurationis procurata fuit, febrem valde mediocrem obſeruaſſe, quae emulſionibus papaueraceis, et nitratis, potuque multo demulcente vegetabili, facile ſe moderari, et abigere paſſa eſt. Febrem igitur ſuppuratoriam 5 dierum, a 150 puſtulis, non be-

ne

ne capio. Non videtur adhibita fuiſſe iuſta medela, iuſtaque diaeta, ad eam mitigandam neceſſaria; nam, vt ex propria experientia noui, et vt ex Freindianis et aliorum Anglorum hiſtoriis, de ſecunda febre confluentium, patet, haec adeo, ſi ſanationem admittat, intra 3 vel 4 dies lege methodi tractata, non raro miteſcit. Sed pergo Tecum, VIR CELEBERRIME, ad alias obſeruationes maioris momenti, quas adfers, quaeque omnino, blandimentis et illecebris, inſitionis irretitum aliquantiſper meditabundum reddere queunt. Doleo et deploro eam maculis eiusmodi et naeuis infectam, quos procul abeſſe peruellem. Tu me non ſaltem doces, inoculationem quandoque generare variolas, licet diſtinctae fuerint, tamen diſtinctis naturalibus longe peiores, vt in hiſtoria Experientiſſimi *van* GHERT, ſed et, quod minime expectauiſſem, loco ſperatarum diſcretarum, vere confluentes, quas totus horreo. Talem hiſtoriam inuenio adeo apud BVRGES, hiſt. I. Obſtupeſco legens adſertionem Cl. RASTII, plus

quam

quam tertiam inoculatorum partem Lugduni variolis confluentibus laboraſſe, in quibus vtique et prima, et ſecunda febris eſt vehementior. Igitur hi omnes aegri, id periculum vitae, quod a febre ſuppuratoria, confluentibus inſeparabili nexu ſociata, excluditur, incurrere debuerunt, quod, ſi repudiata inoculatione naturales expectauiſſent, forte his olim diſcretis exiſtentibus, omnino abſuiſſet. Alios inoculatos, et ſat multos, teſtibus ciuibus Lugdunenſibus, dubia valetudine vſos eſſe, vix mihi vnquam, niſi a Viro optimae famae, perſuaderi paſſus eſſem. Sed plane contremiſco, perpendens inclyti GAVBII hiſtoriam, quo directore ſuſceptam inſitionem nemo aliam, quam circumſpectiſſimam ſibi poteſt fingere. Fuitque omnino talis, cum omnia obſeruanda exactiſſime obſeruata fuerint. Sed DEVM immortalem, quam peſtilentes nihilominus variolae! non niſi arti ſummae, qua GAVBIVS pollet, obedientes, ea inferiorem lethifero ſuo ingenio eluſurae. Verum circumſpicienti mihi adhuc alia hiſtoria,

ria, aeque inexpectata, occurrit. Puero cuidam Eghamensi 7 annorum inoculabantur variolae, prodibant demum die 13, et valde malignae erant, licet eluctaretur a). Et quid hoc sibi vult, quod Cl. HADOW in aliqua epistolarum suarum, post insitionem, ex plumbeo colore vulneris, et profluente inde tenui aquosa materie, loco puris, (quod equidem vitiis diaeteticis tribuit,) praesagiri posse variolas confluentes et mali moris memoret, quin et petechiis stipatas futuras. Si tales euentus post insitionem dentur, quales ego non facile mente concepissem, quos tamen temere negare absonum foret, metuere incipio, ne honor insitionis labefactetur, nisi Illustres Viri, *de la* CONDAMINE, TRONCHIN, TISSOTVS, et alii, illum restituant, et illibatum praestent. Horum examini et iudicio omnes illos valde infelices casus, ab expertissimis Viris annotatos, iamque recensitos, et reliquos, quos nemo aequus obiter habendos censuerit, quorumque Tu, VIR SPECTATISSIME, mentionem facis b), et exemplum *Braggiotti*, et

a) *Schultze II. p. 128. in notis.*

b) *in Responsione ad*

   

meam epist. p. 35. seq. vide et Haën refut. Inoc. p. 59. 60.

et confessionem *Timoni*, vnice relinquo, cum euidentia facta negare haud valens, nil habeam, quod opponam.

  

Cum huius quaestionis occasione, de praeparatione ad inoculationem Tibi, PRAENOBILISSIME HAËNI, verba facere placuerit, vt et de ea mentem meam Tibi aperiam, permittes. Varia variis, vt et alias fieri solet, in hunc finem adhibenda, placuerunt. VSnem, emetica, purgantia, mercurium dulcem, cum vel sine diagrydio, scammoneum, aloen lotam, rheum, corticem peruuianum, antimonium crudum, diaphoreticum, sulphur antimonii auratum, aethiopem mineralem, cinnabarin, flores sulphuris, camphoram, myrrham, resinam guaiaci, decocta lignorum, et ex his varias praeparationes arcanas passim laudari videns. Inter haec omnia magnus aliquamdiu honos habitus est mercurio. Sublimato dulci cum pauxillo resinae ialappae, multum tribuere solebat ETTMÜLLERVS a), et cum aloë lota SPIESSIVS ab Ill. WERLHOFIO b) laudatus.

a) Comment. in Ludov. p. 1077.
b) de Vario.

tus. Verum mercurialia, maxime vbi sanguinem non spissum, sed tenuiorem offendunt, eum magis dissoluendo pessimis malis ansam dare pulchre notauit HVXHAM a); noxia ea quoque Tecum b) declarauit TISSOT c), quin confluentes inde secutas obseruarunt *Auctores Actorum Edinburgensium* d). Plura omnino antiseptica sua virtute promittit cortex peruuianus, quem Tu domitorem malignitatis, post repetitas toties felices experientias, merito suo salutasti, atque a cuius vsu praeuio benignas satis variolas obseruasti, neque tamen, qui eum bene nouit, HVXHAMVS e), vsui plenarie fidit. Quanquam vero et huius remedii, et aliorum vires, suis limitibus circumscriptae sint, nec omnia omnibus prodesse queant, sunt tamen magni Viri, qui, dum tela praeuisa minus nocent, praeparationi, subiectorum varietati dextre accommodatae, multum dari debere, inculcant, et probant. Antiquissimus de variolis scriptor, RHAZES, de inoculatione earum ne per somnium cogitans, tamen de praeseruatione ab iis, priusquam

lis et anthracibus p. 95.

a) *pag. 13.*

b) *Rec. med. II. p. 202. sq.*

c) *Lettre a Mr. de Haën p. 39.*

d) *Part. III. §. 2.*

e) *pag. 12.*

quam appareant ſigna earundem, iam egit a). Praecipue autem noſtra aetate de praeparatione corporum cogitarunt inſitores, neque opinor abs re. Integram ſectionem IX. praeparationi deſtinauit Cl. KIRKPATRIK, et egregie de eadem pro ſubiectorum, ſexuumue varietate adornanda, quoad diaetam et remedia agit, quod negari nequit. Multum etiam ipſi praeparationi fauet MEAD b), namque expreſſis verbis dicit: *Plus mea opinione refert, in quale corpus infundatur, quam de quali eximatur peſtilentiae virus.* *Non aliter ſentiens* Ill. HVXHAM c): *Firmiter credo*, inquit, *ſi etiam naturalibus variolis imminentibus, iuſta praeparatio inſtitueretur, plurimos aegrorum non niſi bonae notae puſtulas experturos fore. Sique pariter apud inoculandos vitia corporea remouerentur, et diaeta legitima antea obſeruaretur, licet et puris inſerendi cognitio multum faciat, felix inſitionis ſucceſſus non minus expectandus eſſet; et in hoc momento ſine dubio omne myſterium inoculationis abſoluitur.* Multum ponderis nanciſcitur hoc aſſertum per ea, quae

a) *Cap. V.*

b) *C. V. p. 69.*

c) *p. 14. 15.*

quae in antecedentibus iam elocutus erat a). *In vna ciuitate, in vno pago, in vna domo, in vna familia decumbentes 4. 5. 6 homines, vno tempore benignis et malignis variolis laborant; ergo in corpore latet aliqua causa benignitatis et malignitatis, licet etiam contagium possit esse melioris et peioris indolis. Vnum pus diuersis subiectis insinuatum, diuersas et benigniores et magis malignas producit variolas; ergo cuiuis propria dispositio humorum rem determinat.* Quodsi itaque non perinde fuerit, in quod corpus incidat, vel naturalis vel artificialis morbus, audiri etiam debent Insitores, quando malum successum operationis, illotis manibus adornatae, non sine ratione legitima tribuunt. Sic PYLARINVS iam (p. 16) fassus est, iuuenem 18. annorum, continente febre et maligna, concurrentibus pessimis symptomatibus, correptum fuisse, vixque morbum post 14 diem elusisse. Sed culpam succis prauis, et neglectae, contra datam admonitionem, corporis expurgationi, non immerito defert. Igitur laudabiliter sine dubio egit Ill. TISSOTVS b), quan

a) *pag. 6. 8. §. 10.*

b) *Inoculat. iustif. §. 32. ad 36.*

G

quando praeparationem omnem ſuperſtruxit Variolarum ingenio inflammatorio, quod ipſis proprium eſſe omnes hodie rationales Medici contendunt. Ea propter, plethora et pulſu pleno praeſente, laudat VSnem, aliter nocuturam, purgationes leniores antiphlogiſticas, anthelmintica, et vomitoria in pueris, abſtinentiam a carnibus, diaetam tenuem vegetabilem refrigerantem, hydrogala, lac ebutyratum, ſerum lactis, decoctum hordei, et, vt totum corpus emolliatur et perſpirabile reddatur, pediluuia et balnea. Crediderim, ſi haec methodus per 6. hebdomades et vltra (nam eiusmodi tempus Inſitores praeparationi deſtinant) adhiberetur, et adhiberi poſſet, antequam variolae naturales ingruerent, cum adeo ad ipſam therapiam iam praeſentium quadraret, eam non poſſe non vtiliſſimam eſſe. Quidni ergo, certo praeuiſis inſititiis variolis, eadem applicaretur cum fructu. Ita ſane videtur! At vero, nihilominus Tu, PRAESTANTISSIME HAËNI, parum vel nihil omni praeparationi tribuis, licet omnino intereſſe largiaris,

ris, vtrum Socrates, vel Epicuri de grege porcus, variolis laboret a). Si hoc agnoſcas, bene omnino, niſi fallor, ex ipſa natura prophylaxeos, quae magna et nobilis pars medicinae eſt, et ex auctorum celebrium ſibi adiecto calculo, praeparationis praeſtantiam in variolis, demonſtrauit Doctiſſimus TISSOT b), quamuis in plurimis morbis, aegrorum incuriorum culpa, ipſa pene negligatur. Pulchre Te interrogat Vir Tibi amiciſſimus, quid faceres ipſe, ſi Tibi pater offerret filium, intra 14. dierum ſpatium variolis laboraturum, an ſine conſilio prophylactico ipſum fores dimiſſurus, an homini ex conſtitutione corporis ad pleuritidem diſpoſito, graſſante hoc morbo Te conſultum adeunti, nihil agendum eſſe, ſed expectandum donec adfuturus ſit, declaraturus eſſes? Multa ſane haberem, quae pro illuſtranda et neceſſitate, et vtilitate praeparationis in morbis omnibus, poteram adiicere. Pauca quaedam adferre fas ſit. Cur hominibus, quos, definita conſtitutione aëris regnante, ex cognita naturali temperie cauſisque proegumenis et proca-

a) *Quaeſt. p. 38.*

b) *Lettre p. 40. ſeq.*

tarcticis, apoplexia tangendos praeuidemus, ſolerter et mature inculcamus, vt, quia, LANCISIO teſte, nemo facile hoc morbo ſuccumbit, qui non fuerit ſtrenuus in caſtris Bachi et Veneris miles, ſobrietatem colant, vt ab amoris illecebris ſibi caueant, vt VSne et purgatione ſibi conſulant, vt frigoris et caloris viciſſitudines ſubitaneas euitent, vt perſpirationis ſucceſſum perpetuo promoueant? Nonne hoc ſuademus ideo, vt aut apoplexiam auertamus, aut ſi nihilominus inuadat, quia, HIPPOCRATE, monente fortem ſoluere impoſſibile eſt, mitiorem eam, et ſolubilem praeſtemus, difficultatesque, quas et in hac notat Diuus Senex, quantum poſſumus, minuamus? Sed plura dicere cogor. Habent morbi ſua remedia ſpecifica, quibus magis obediunt, quam aliis, vt Variolarum ſpecificum inſitionem eſſe volunt eius amici. Dum ad illa remedia non ſemper ſtatim, illotisque quaſi manibus conuolamus, nec conuolandum eſſe ducimus, alia praemittimus, illorum operationem certiorem et feliciorem praeſtituri, ſicque bona et prima

pars

pars ipſius therapiae, naturam praeparationis induit. Cortex Peruuianus eſt verum ſpecificum pharmacum intermittentium, et, vt SYDENHAMVS loquitur, in curandis quartanis hactenus vnicum, in his toties omnia reliqua vana. Nonne autem viam quaſi ſternimus cortici, per euacuantia, per ſalina, amara, ſaponacea? etc. nonne iuuat haec contueri tanquam vera remedia praeparantia, ſine quibus praemiſſis etiam optimum in ſe, et diuinum remedium noxas adferre potuiſſet? Chalybs, BOERHAAVIO iudice, virginibus ſolidis, laxis, et liquidorum frigida inertia laborantibus, auxilium praeſtat incomparabile prorſus, *neque enim*, inquit, *vlla rei vegetabilis animalisue virtute, nulla victus regula id quis efficiet in hoc caſu, quod marte conficitur* a). Atque per Obſeru. 88. Cent. V. M. N. C. mars vnicum eſt chloroticarum ſolatium, ac ipſa experientia teſte, ſine eo, ſaepe ſaepius luridus pallor haud fugatur, viſcerumque haemotopoieticorum robur haud reſtituitur. SYDENHAMVS, poſt recenſionem moleſtiſſimorum

a) *Chem. Tom. II. Proceſſu 167.*

 ſym-

ſymptomatum, ſine vllo remediorum aliorum apparatu ſuppeditato, ſaltem conſulit, vt aegra ſumat Pilulas chalybeatas, vel puluerem chalybeatum a). Illuſtr. *van* SWIETEN b) numeroſiſſimos caſus vidit, vbi ſola limatura ferri, aromaticis ad gratiam iunctis, ſuperabatur cachexia, prudenterque iam monuiſſe GALENVM affirmat, frigidam et lentam pituitam non ſemper debere euacuari, ſed potius permutari in ſanguinem, quod pulchre ferri vſu perficiatur. Verum enim vero, nihilominus pro praeparandis aegris, niſi debilitas magna obſtet, SYDENHAMVS vult, vt ſemel purgentur, *van* SWIETEN autem per 3 vel 4 dies euacuantia prius exhibenda praecipit, vt primae viae ab omni ſaburra ſint liberae. Nonne vero hoc idem eſt, ac corpus ad certiorem et feliciorem ferri vſum praeparare? nonne dabuntur caſus, in quibus maiori praeparatione opus erit, in quibus condimenta, potus vinoſus, exercitium, digeſtiua, vomitoria, purgantia, attenuantia, diuretica, ſudorifera, quae omnia immortalis *Boerhaauius* praemittit, praeſcribenda erunt, ante-

a) *Operum p.* 781.

b) *Comment. Tom. III. ad* §. 1179. *p.* 659. 660.

antequam vltimo ad chalybeata, ex eius consilio, perueniatur a)? Haec omnia, cum Tibi diu et nimis nota sint, cumque ipse praeparationes corporum, vbi minax morbus instet, laudes, quin necessarias statuas b), nescio qui fiat, vt eas non aeque ad variolarum morbum, ac ad alias aegritudines extendendas velis.

a) *Aph.* 1176. 1177. 1178. 1179.

b) *Refutat.* p. 101-104.

  

Dicis, praeparationes saepe non sufficere, hominesque sanissimos et vltra omnem praeparationis necessitatem euectos, constitutione epidemica abripi, aliosque, dupla praeparatione egere visos, seruari. Sed quaeso Te! quaenam prophylaxis, quae methodus medendi datur, quae non subinde fallat? Scripsit Vir eximius, *Ioh.* BOHNIVS, doctam dissertationem, *de Prophylaxi pestis dubia*, an ea propter asserere fas erit, dari in truculento hoc morbo nullam? Renuent certe omnes Loimiatri! nonne solius aceti beneficio tutus, aegros suos inuisit SYLVIUS, dolore capitis poenam dans, cum vna vice id potare oblitus esset? Possetne vero Te,

 tantum

tantum Medicum, latere, in omnibus epidemiis, aliquid inflammatorii habentibus, ſaniſſimos, robuſtos, plethoricos, debilibus valetudinariis infeliciores eſſe? an mirum, ſi varioloſa peſtilentia athletice valentes phlogiſtica ſua diatheſi grauius mulctet, niſi remediis antiphlogiſticis praeparati fuerint? Quodſi certa et inexplicabilis diſpoſitio corporum, nulli praeparationi ſubiecta, faciat agere venenum magis minusue, pro ratione ſubiecti, vt Tu innuis, ars vltra limites ſuos neſcit progredi, peccatura tamen, ſi alio tempore intra eos agere valens, otioſa quieſcat, et ad vltimos, quos attingere poteſt, haud progrediatur. Perſpicis, VIR EXCELLENTISSIME, me lubentem concedere, dari eheu omnino caſus, etiam non raros, in quibus nulla praeparatio iuuet. Si vlla fuit exquiſitiſſima, certe illa fuit, quam habes *in reſponſione* Tua *ad meam epiſtolam p. 36. et in appendice*, et tamen omni effectu caruit. Interim nemo inſitorum hoc negat, quin Celeb. KIRKPATRIK a), multa complecti praeparationem, vltro elocu-

tus

a) *Sect. IX. p. 356.*

tus, obtinere quandoque peculiarem quandam ſolidorum texturam, et humorum craſin affirmat, vt mille modis infeliciter cedere queat praeqaratio, et inoculatio, quando acutiſſimus quisque id omnium minime expectaſſet. At in praeparando etiam interdum contra artis regulas peccatur; methodumque adeo Edimburgenſium, quam Tu tanquam ſpecimen praeparationis egregie inutilis ſiſtis a), illi epidemiae, cui deſtinata fuit, minime quadraſſe, humoresque, in ſui diſſolutionem iam vergentes, adhuc magis diſſoluiſſe, docte probat, et confuſas ſine ordine et ſelectu praeparationes reiicit Ill. TISSOTVS b). Porro ſub optimis intentionibus, iudicio practico haud accedente, nimia eſſe poteſt praeparatio et intempeſtiua, quando et VS. et purgationes, et diaeta tenuis minus opportune in vſum vocantur, iisque virtus vitalis vltra naturale robur deprimitur, vt dein nec expulſioni exanthematum, nec maturationi eorundem ſufficiat, quod vitii genus illis ſolemne eſt, qui methodum anthiphlogiſticam perperam, et cum

a) *Quaeſt. p. 38. 39.*

b) *Lettre p. 39.*

 damno



damno aegrorum vltra omnes limites extendunt, et nil nisi diathesin inflammatoriam vbique cogitant, obliti cautionum Sydenhamianarum et Boerhaauianarum, quae toties inculcant, efficiendum esse, vt nec excedat vis circuli, nec torpeat. Talia ex nimia praeparandi opera nata delicta notarunt TISSOT a), et BVRGES b), quae attendi, et perpendi merentur. Facilis interim in errorem lapsus, qui, si a Medicis haud abest, tanto magis aegris, sibi ipsis sine Medici consilio sapere visis, familiaris esse potest. Refert Cl. *de* FOTHERGILL, duos viros ex India occidentali iter in Angliam fecisse, et durante hoc nimiam frugalitatem obseruauisse, vt nempe semet ad inoculationem praepararent. Cum aduenissent, valde pallidi conspiciebantur; at quia color hic ipsis naturalis esse reputabatur, sine mora insitio instituebatur. Verum praeter spem ipsis variolae crystallinae erumpebant, ita vt non nisi summa opera adhibita seruarentur c). Haec talia bene cognita habens SCHVLTZIVS, vltro profitetur, praeparationem multis laborare

a) *Inocular. justifiée §. 90.*
b) *Cap. V.*
c) *vid. Schultze Part. I. p. 52. in notis.*

borare difficultatibus, vt non nimia ſit, nec defectu laboret, viaeque mediae obſeruationem valde arduam eſſe, et difficilem a).

a) Part. II. p. 130.

Si nunc, ILLVSTRISSIME HAËNI, inde contra omnem praeparationem argumentum deſumere volueris, ita vt paucos forte Medicos illi adornandae non ſatis habiles declares, non repugno, modo illas difficultates non vniuerſaliter inſuperabiles, et prorſus nullius vſus eſſe praeparationem ſtatuas. Vltro etiam Tibi conceſſerim, etiam exercitatos obrui regularum circa praeparationem copia, ita vt earum exacta obſeruatio non omnium negotium ſit; culpam quoque minus fauſti ſucceſſus inſitionis, vt haec nil dedetrimenti capiat, in omiſſam aut non rite ſuſceptam praeparationem quandoque perperam et gratis reiici. His omnibus tamen non obſtantibus, ſi ſtare perrexerit inſitio, amicorum ſuorum conatubus ſuffulta, praeparationem, vtut non raro fruſtraneam, in totum tamen ſuperuacaneam haberi haud poſſe, per hactenus expoſita mihi perſuadeo. Coeterum ſilentio praeterire haud debeo,

cele-

celeberrimum RASTIVM frustra scripsisse, me idem infortunium, ac alios, in pluribus aegris sine fructu a me praeparatis, expertum fuisse a). Nemini hactenus inseui variolas, adeoque et praeparatione non opus habui. In naturalibus praeparatio apud nos fere omnis cadit; nam saepe ne quidem in principio primae febris, sed iam erumpentibus pustulis, demum Medicus solet vocari, quod magno meo taedio et dolore toties expertus sum. Nullam aliam praeparationem mihi arrogare possum b), quam quod, dum variolae nobilem familiam quandam infestabant, duabus virginibus, quae earum incursum quotidie metuebant, et ♀dum vitriolicum et deinde corticis Peruuiani extractum ad tempus, praeparandi fine exhibuerim. Vna earum mitissimas postea variolas patiebatur, altera malignissimas, sed de hac notari debet, vt fusius in historia morbi eius explicui, multa eheu commissa fuisse peccata, quae a praeparatione legitima longissime abesse debent, et quae eam prorsus irritam faciebant.

a) *de Haën Respons. ad meam epistolam p. 42.*

b) *vide meum schediasma de insufficiente methodo medendi.*

Vnum

Vnum ſupereſt. Exiſtimat a Te, CELEBERRIME HAËNI, laudatus RASTIVS, quod ſuppuratio veſicantis ope in naturalium principio excitata, has aeque raro, quam illas, lethales exhibitura eſſet. Si haec vere aequaret vires vlcerum inoculationis, per quae, ex ſententia inſitorum, magna pars veneni effluit a), nulla amplius praerogatiua inſitio gauderet, et multum ſane eius laudibus decederet. Operae pretium omnino eſt, periculum facere. Meretur vero cum Raſtiano conſilio conferri notabilis locus MEADII b), huc apprime faciens. Dum de inoculatione agit: *Putarunt*, inquit, *nonnulli, effluxum humoris ex vulnuſculo ad inferendum pus inflicto, vt etiam ex puſtulis circa oras eius prorumpentibus, ad aegri ſalutem nonnihil conferre. Sed exigua illius copia, quae hac via effunditur, vix quicquam, vt videtur, iuuare poteſt. Multo plus praeſtabunt emplaſtra duo veſicatoria, brachio alterutri et cruri impoſita, promota interim per totum morbi tempus purulentae in vlceribus materiae digeſtione. Quam quidem medicinam ex vſu hic fore*

a) *Condamine* Part. I. p. 37.

b) *Cap. VI.*

fore nequaquam dubito. Quando ergo nil notatu dignum de veneno per vlcera inſitionis effluit, atque illa vlcera, quae per veſicatoria producuntur, magis iuuant et maiores effectus promittunt, largiorem veneni effluxum permittentia, cur porro inſerimus variolas, cur non potius, ſi naturales ante fores ſunt, *Raſtianam* et *Meadianam* methodum loco inoculationis ſequimur? Verum concedendum puto, adeo largiter ſaepe fluere inſitionis vlcera, vt ſi fluxus etiam longe minor eſſet, tamen veneno adeo ad ſtuporem exiguae molis, adeo exiguo vehiculo continendo, bonam partem iterum egrediendi e corpore, ſatis ſufficiens libertas relicta ſit. Deinde etiam eo ipſo momento, quo inſeritur venenum, iam locus ipſi adſignatur definitus, et porta patula praeſtatur, per quam iterum ipſi elabendum ſit, et quidem antequam prima febris varioloſa hominem inuadat, venenumque humoribus miſtum agere incipiat. Febre poſtea ſeſe manifeſtante, teſte *de la* CONDAMINE a) et aliis, vulnera maiorem ordinarie quantitatem

a) *Part. I. p.* 37. 38.

tem puris fundunt, et venenum per ea ſubinde fere totum euacuatur ita, vt non raro ſaltem duae vel et nullae puſtulae erumpant, aegro nihilominus in vado conſtituto. Vix ergo, vt MEADIVS cenſet, indigere videntur vlcera inſitionis veſicatoriis, vt ipſis amicas ſuppetias ferant, apud inoculatos. Apud aegros naturalibus laboraturos, poſtquam per aliquot dies contagium, ore hauſtum, iam humoribus ſeſe altius inſinuauit, in morbi iam excluſi principio demum veſicatoria applicari poſſunt, et RASTIO ita iubente debent, quorum vlcera lata equidem, ſat bene, tardius tamen venenum in corpore vbique iam dominans iuſta copia in ſe allicient, atque proinde eam opem non praeſtabunt, quam ſi ante febris ingreſſum excitata fuiſſent. Taceo dari caſus, in quibus, ob vehementiam primae febris, plane non conueniunt veſicatoria. Taceo methodum inſitionis adeo, quae per paruula veſicatoria, loco leuis inciſionis, praeſtatur, huic inferiorem eſſe, et difficulter ſanabilia vlcera poſt ſe relinquere ſolere. Forte eas ob cauſas commoda ma-

iora

iora, et vlceribus insitionis paria, elargiri potest fonticulus, grassante epidemia iis mature excitatus, qui variolis adhuc obnoxii sunt, et per hebdomadas gestatus, antequam variolae corpus prehendant. Notum est, quantum et ad praecauendam, et, si praecaueri nequeat, mitiorem reddendam pestem, tribuatur fonticulis, a DIEMERBROECKIO a), KIRCHERO b), FORESTO c), HILDANO d) WILLISIO e) et aliis. Sed et non latere potest lectores, DIEMERBROECKIVM f) ipsum ingenue confiteri, non vnum, sed plures in peste, etiam cum fonticulis esse mortuos, quare eximius BOHNIVS g) friuole fidem praestare fonticulis haud vult. Atque in ipsis variolis irritos eos fuisse, memorant Medici Edimburgenses h). Patet ex his omnibus, vlcera artificialia, per vesicatoria et fonticulos excitata, eousque valida haud haberi posse, quam vlcera artificialia insitionis, atque ab illis non aeque numerum variolarum parcum (a quo omnis morbi securitas pendet,) expectandum esse, ac ab his, qui si non semper, saepe tamen feliciter impetratur.

a) *de Peste lib. IV. hist. 110.*
b) *de Peste.*
c) *Lib. VI. Obs. 15.*
d) *Cent. VI. Obs. 92*
e) *de febribus cap. 13.*
f) *de Peste lib. II. c. 8.*
g) *Diss. de prophylaxi pestis dubia §. 35. seq.*
h) *Act. Part. III. cap. 2.*

QVAE-

QVAESTIO VI.

Nulline ab insitione moriantur?

Dicam, bona Tua venia, VIR MAGNIFICE, hanc quaestionem ita proponendam fuisse: *Paucioresne ab inoculatione, quam a naturalis morbi incursu, moriantur?* Namque, vix aliquis, ex omnibus, qui insitionem propugnant, auderet affirmare, neminem post eandem mori, licet culpam interitus ab ea remouere multo studio, tot boni Viri allaborent. Non in dubium inter alia vocari potest triste exemplum filii Illustr. *de Sunderland*, quod in Anglia contigit, cuius occasione etiam plurium in publicis nouellis fiebat mentio, quibus insitio artificialis variolarum fatalis fuit. Neque minus verum, *Bostoniae*, Angliae americanae loco, Acta consignata, et ad ratificandum Londinum missa fuisse, quibus insitio variolarum prohibita fuit ea propter, quod vtplurimum male cesserit (*vide Mens. Iul. 1722. Nouellarum Halensium.*). Tum et negari nequit, quod publicae nouellae ex Anglia *1730. die 9. April.* referebant, filiam dominae *Blundal* ex tristi

nuncio, quod ſororis, et *Ioh. Eyls* Equitis filia, poſt Variolarum inſitionem fatis ceſſerit, perterritam, confeſtim exſpirauiſſe, etc. etc. Si nemo ab inſitione moreretur, et a naturalibus etiam ſaltem pauciores, (cum innumeri ab iis moriantur,) quid amplius diſputatione opus eſſet, an inoculandum ſit? Hoſtis generis humani foret apertus, qui vniuerſale et certum remedium ipſi eripere moliretur, et ſi Medicus eſſet, ex ordine Medentum eiiceretur atque ad Getas et Garamantas, et vltimam Thulen ablegaretur merito. Nimio affectui tribuo, quando apud Cl. SCHVLTZIVM a) lego, *inſitionem non ſaepius fallere ſpem felicis medelae morbi variolarum, quam chinam, in curatione febris intermittentis.* Nunquam quippe fallit Peruuianus cortex bonae notae, exhibitus in febribus vere intermittentibus, et ex earum genere continuis, ſi ſalua ſint viſcera; fefellit tamen, quod hodie negari nequit, inſitio, adminiſtrata in caſibus etiam idoneis iudicatis, ab omnibus eius artificibus. Porro non minus aliquid hyperbolici habet aſſertum, eru-

a) *Part. II. p. 176.*

eruditiſſimi *de la* CONDAMINE a), *nec periculoſas, nec mortiferas eſſe variolas inſititias,* pronunciantis; neutrum enim hodie ſine exceptione ita ſeſe habere obſeruatur. Id vero certum eſt, et certiſſimum, quod vbiuis locorum, et in Anglia adeo, et Londini, vbi, quod bene et cum ſingulari cura notari velim, genuina methodus ſanandi Variolas vere enata, et quam maxime exculta eſt, hac non obſtante, tamen bene multi naturalibus moriantur. Per notata necrologica b) (*Bills of mortality*) intra 42 annos 65072 homines naturalibus ſunt mortui. De funeribus ab inoculatis interea aſſeuerarunt clariſſimi Viri, certe haud pauci, quod proportio, reſpectu eorum, quae naturales poſt ſe traxerunt, fuerit ingentis diſcriminis, longe paucioribus ab illis, quam ab his abreptis. Lectores meos alios, quorum intereſt, non Te, EXIMIE HAËNI, nam Tibi haec omnia nimis nota ſunt, precari debeo, vt legant, quae ad hanc notabilem proportionis differentiam, et inde elicitam inſitionis praerogatiuam, facientia habent practici

a) *Part. III, p. 65.*

b) *vide Iurin Letter tho D. Cotesworth p. 17. et Account of the Succeſſ of Inoculation.*

Inoculatores obſeruata, IVRIN a), KIRKPATRIK b), et alii, et ſua fecerunt Cel. TISSOTVS c), SCHVLTZIVS d), et CONDAMINE e). Si forte ex feruidiore affectu in inoculationem, numerus poſt eam demortuorum, paucorum certe, ſi totum numerum inoculatorum reſpicias, aliquantisper ab vno vel altero Fautorum minutus fuerit, vix tamen licet reiicere et in dubium vocare omnia omnium teſtimonia, et ſine exceptione fraudulenta habere, quae retulerunt, de rariore mortalitate apud inoculatos, praeter IVRIN, et KIRKPATRIK, SCHEVCHZER, LANGRISH, HADOW, PEVERINI, FREWIN, RANBY, BELL, HAWKINS, MIDDLETON ipſeque MEAD et HVXHAM, ſuos calculos nouae arti adiicientes, etc. etc. quis enim omnes enumeraret? Satis manifeſtum eſſe ſcripſit MEAD f), vix centeſimum quemque inſitiuis Variolis perire, cum longe plures, pro rata portione, morbus hic naturaliter ortus conſumat; deinde narratione adiecta de tricenis aethiopibus inoculatis, ex quibus ne vnus perierit, hoc

a) *Account etc. et Analyſis etc. Londini* 1754.

b) *Sect. V. p. 160. ſeq.*

c) *paſſim in ſcriptis.*

d) *Part. II. p. 155 - 160.*

e) *in diſſert. p. 17. 41. 63. 65. 68.*

f) *Cap. III. p. 65.*

hoc ſuum aſſertum confirmans. Durioribus vocibus, de plebeia ignorantia, de praeiudicatis opinionibus, de ſtudio partium, de pruritu contradicendi, praemiſſis, ſe audere aſſerere, ait HVXHAM a), *Inoculationem ſaltem decimam partem illius periculi ſecum ferre, quod comitatur naturalem inuaſionem.* BVRGES, circa finem ſui ſchediaſmatis, ſe conuictum eſſe profitetur, directe in ſalutem humani generis tendere inoculationem, cum naturales Variolae plerumque ſeptimam partem infectorum deuorent, et illa adminiſtrata vix centeſimus pereat. Guttulam puris varioloſi, iuſto tempore in vſum vocatam, integris prouinciis ſuas incolas in vadum locare, aſſerit TISSOTVS b). Infinities minus periculoſas eſſe Variolas inſititias, quam naturales, ait *de la* CONDAMINE, et de hac re neminem eſſe in Anglia qui dubitet c). Liceat mihi quaedam SPECTATISSIMI huius VIRI cogitata adhuc ſpecialius in medium proferre. Naturales Variolas ſeptimam, ſextam, quintam, quartam, interdum tertiam partem aegrorum trucidare,

a) *de Variolis p. 16.*

b) *Inoculat. juſtif. §. 3.*

c) *Part. III. p. 66.*

 dicit,

dicit, cumque, ipſis aduerſariis confitentibus inoculatae ex 50 hominibus vnum abſtulerint, a naturalibus minimum vnum ex quinque periturum fuiſſe, infert, ſimulque ad IVRIN prouocat a). Alibi, poſtquam, hoc auctore notante, ſeptimam partem a naturalibus mori edixerat, inter illos, qui eluctantur, tot miſeros ſimul conſiderandos monet, qui vitia in viſu, auditu, mala pectoris reſidua dolent, qui formam externam perdidere, et valetudinarii manent b). Addam adhuc memorabilem computum, quem init Cl. *de la* CONDAMINE. Ponit vt euictum, 14. partem hominum quotannis Variolis mori, per Necrologia Londinenſia 42 annorum, apud IVRIN et KIRKPATRIK (*Analyſis Londini* 1754). Dum ergo, inquit, Pariſiis quotannis moriuntur 20000; moriuntur variolis 1440. Iam hoſtes infenſiſſimi inſitionis quinquageſimum ab ea mori dicunt. Igitur, licet hoc falſum ſit, tamen per propriam eorum confeſſionem concedere coguntur, per inoculationem in 1440 hominibus inſtitutam, 1411. ſeruari c). Taceo reli-

a) *Part. II. ad Obj. I.*

b) *Parte III. circa initium.*

c) *Part. III. p. 68.*

reliqua, vt et computum alium mire insitioni fauentem, quem habet ad Object. VI. p. 50. ne nimis prolixus sim, et Tibi Ill. HAËNI, quem haec et plura huius generis neutiquam fugiunt, nimis displiceam.

*   *   *

Quid vero ego ad haec omnia? an ita me gerere debeo, ac si illa nec legissem vnquam, nec scirem, an lecta et expensa sciens debeo negligere, et omnia subleftae fidei habere, an mirari, quod Tu nihil non lectum, nihil non expensum relinquens, vnquam quaerere potueris: *Vtrum insitiua methodus plures, quam via naturalis, in vita seruatura sit* a)? Felicissimae tuae curationes Hagae-Batauorum per diuinam clementiam peractae, de quibus nequaquam dubito, et de quibus iam alibi Tibi gratulatus sum ex animo, non aeque felix, et aliae similes a Te visae, efficiunt certe, vt arti nimium tribuas, et funera a naturalibus pauciora, quam existunt, ab inoculatis plura, quam dantur, Tibi concipias; ita sincere, quae intus sentio, in chartam coniicio. Vidisti in Hollandia paucissimos mori, Medicis

a) *In quaestionibus p. 32.*

vſos optimam methodum callentibus; idem obſeruaſti Viennae, et in vicinis vrbibus, ſub bonorum Medicorum cura. Ergo comparationem inter naturales et inſitiuas Te non admittere, et notabilem differentiam inter funera ab vtroque genere haud agnoſcere, vltro et palam profiteris a). Putasne vero, VIR *multis nominibus mihi* DILECTISSIME! Londini adeo deſciuiſſe ab antiqua SYDENHAMI in medendo virtute Medicos omnes, vt methodum eius, aut neſciant, aut negligant? an Tibi fingis practicos plurimos ita ſocordes et torpidos, vt *Meadiana* et *Huxhamiana* veſtigia ſequi ignorent? et tamen et ſuperiore anno, et antecedentibus, ingente numero homines in hac metropoli variolis naturalibus ſunt mortui. Elegantiſſima et exaſciatiſſima ſunt Ill. MEADII in medendo praecepta, iis tamen, quorum ipſe probe memor eſſe debuit, non obſtantibus, variolas vocat veram peſtem p. 6. b) Imo ipſa vera peſte peiores eſſe mali moris variolas, aſſerit et probare ſatagit WETSCHIVS *in Praefat. p. 17. ſeq.* Porro

a) p. 34. 35.

b) *edit. Götting.*

MEAD

MEAD eas nominat venenatam febrem p. 15. dira eius ſymptomata comparat cum ſymptomatibus commorſorum a ſerpente africana, haemorrhous, dicta p. 22.23. atque in nulla febre (ob latens intus vt extus deleterium toxicum viſcera nobiliſſima, callidiſſimo Medico non praeuidente, ſubito quandoque exeſurum) incertiora eſſe de vita et morte iudicia, quam in hac, candide eloquitur. Atque haec per totam vitam enata et confirmata ſcientia effecit, vt ſenex adhuc inſitioni valde fauerit, plures eius beneficio ſeruari poſſe ratus. Non minori affectu eam protexit HVXHAMVS a), quia ſcilicet vidit, quas graphice deſcripſit variolas, in quibus, vt ait, fere ſemper tragoedia morbi, ſub diriſſimorum ſymptomatum ſyndrome, morte aegri terminatur, atque dari contagium varioloſum expertus eſt, quod cum peſtilentiali, triſti energia, pari paſſu ambulet b). Neque dubitauit Ill. WERLHOFIVS, exemplar Practici eruditiſſimi et experientiſſimi, probare inſitionis artificium, cum dari ſciat variolas maligniſſimas, in quibus nihil omnino iu-

a) *p. 10. et 36. Vide et eius diſſ. de Variolis epidemicis anomalis.*

b) *de febribus C. V. p. 79.*

iuuet a). Tales olim Bernae vidit HILDANVS b), quae quam plurimos infantes e medio sustulerunt. Forte si non in eam deduxit, firmauit tamen in sua sententia iam animo sedente post seculum, et quod excurrit, elapsum, ciuem eius Ill. HALLERVM, tristissima illa constitutio epidemica, Bernensis, quod variolarnm insitioni calculum suum adiiceret, et adiicere pergeret c). Cur vero diutius immoror commemorationi summae malitiae et rabiei, quae toties miserabilem hunc morbum comitatur, qualem vt alibi, ita apud TVLPIVM *Lib. IV. Obs. 52.* non sine horrore, non sine stupore, non sine stantibus comis, aliquis legerit. Qualem 1725 experti sunt *Freyenwaldenses*, et eorum vicini, quibus nulla familia restitit, ex qua non censum sibi libitina exegerit, secunda febre, quicquid etiam medicina praestare moliretur, lento et hectico ardore multos trucidante d). Magnum catalogum scriptorum fide dignissimorum exhibuit Ill. TISSOTVS e), sua propria experientia praemissa, qui validissimis testimoniis confirmant, saepe admodum perniciosas

a) *de Variolis et anthracibus p. 18. et 96.*
b) *Cent. VI. Obs. 82.*
c) *Vide Opusc. Pathol. Obs. 44.*
d) *Act. Med. Berolin. Dec. II. Vol. X.*
e) *Lettre a p. 17 - 29.*

niciosſas eſſe variolas. Neque ego in eodem omiſſum vellem ſummum BOERHAAVIVM, licet TISSOTVS ſaltem alio reſpectu ipſius reminiſcatur. Siue clara et aperta eius enunciatio: *Prophylaxis inſitiua videtur ſatis certa tutaque*, militare queat pro hac, ſiue minus, ſiue mentem ſuam mutauerit deinceps VIR INCOMPARABILIS, ſiue non, certum tamen eſt, ipſum morbum variolarum pro ſontico ſemper habuiſſe: Namque ſi morbus vehementiſſimus, ſi ichor gangraenoſus loco puris, ſi tota fere cutis occupata (quod omne ego eheu! his meis oculis non raro vidi,) ineluctabilem perniciem agnoſcit, quam in commentariis ſuis fuſius expoſuit, ita, vt dubii effectus, remediis ſuppeditatis, ingenuus profiteatur: *Si haec non iuuerint, ſe neſcire quid iuuare queat* a).

a) *Aph.*1403.

* * *

Sed diutius forte inhaeſi a Te diſſentientium aſſertis, AMICISSIME HAËNI! patere igitur, vt ad Te iterum accedam, ſed et vt ea, circa quae aliter Te ſentire mallem, candidus et ſincerus eloquar; ita ipſe iuſſiſti,

vrges

vrges et recte vrges a), ſilentio interdum ſupprimi funera, ab inſitione exorta, et amicos eius nondum confutauiſſe, tot hiſtorias ipſis publice propoſitas, inſititiis variolis demortuorum. Nil Tibi opponam; at interea, etiamſi plures moriantur ab inſitione, quam concedatur, inquirendum tamen adhuc reſtat, an non nihilominus multo plures moriantur a naturalibus? nam circa hoc argumentum iam quaeſtio noſtra verſatur. Tu multo ſtudio, multa eruditione, ex Tua pariter, ac haud paucorum celeberrimorum Practicorum experientia, probas, variolas eſſe ſat benignas b). Abſonum foret et Tibi, et pro Te dimicantibus, contradicere. Sed *o Bone*! cur dememiniſti omnium eorum non minus praeſtantiſſimorum Medicorum, qui truculentiſſimas et immedicabiles variolas deſcripſere, quos Tibi propoſuit TISSOTVS, quos et ſine eo, omnes noueras. Aequior hac in parte ille, Te, praedicari debet; nam licet inſuperabilem toties perniciem variolarum naturalium, quae negari nequit, vrgeat, et probet, concedit

a) *Refut. p. 64-67.*

b) *Refut. a p. 64. ad 74.*

cedit tamen, dari etiam ita benignas, vt arte adeo in malas mutari ſeſe haud paterentur a). Vera ergo Tu loqueris, vera loquitur TISSOTVS; certis ſcilicet temporibus pauciores homines abſumunt variolae naturales benignae; certo tempore malignae, artique rebelles horrendam ſtragem edunt; vtrasque vidi, et noui. Cauendum ergo, ne vel harum, vel illarum obliuiſcamur, quando de mortibus a variolis generatim ſpectatis, nobis ſermo eſt. Incumbit potius nobis, vt auctores vtrasque deſcribentes conſulamus, diuerſaque etiam loca eorundem inter ſe conferamus. Non Te fugit, Ill. HAËNI, SYDENHAMVM ſcripſiſſe paſſim de perniciosiſſimis variolis, id ipſe notas; interim has miſſas faciens, conuertis Te ad diſcretum genus, quod omni periculo vacet, ad perpaucos illos e plebe, qui prae diuitibus ea propter moriuntur, et concludis, non naturae morbi, ſed peccato Medici, et aegri, culpam mortis tribuendam eſſe in variolis b). Nonne vero idem SYDENHAM, qui de diſcreto genere adeo bene ſenſit, ſimul

a) *Lettre p. 17. et 33.*

b) *Refut. p. 67. ſeq.*

mul audiri debet, verba faciens de aegris ob materiem ptyalismi viscidam factam, suffocatione plerumque extingui solitis, *p. 172.* de incerto lubricoque loco, in quo locatur morbus variolarum, et praxis medica eidem accommodanda; de fama Medici frequenter variolis mediri iussi, in angusto versante, *p. 181.* de re periculosae aleae si variolae confluant, *p. 188.* de saliua viscida aegros fere omnes suo marte II. morbi die iugulante, *p. 197.* de lethalibus vesiculis cum mortificatione aegros, intra paucos dies ab eruptione, libitinae destinantibus, *p. 253.* de aegris plerisque, qui vehementius laborabant variolis anomalis anno 1674. 1675. intereuntibus, *p. 298.* de ingenti discrimine a pustularum numero, *p. 444.* de praeuidenda hominis funesta ruina ex imminente indomita vi febris succedaneae, *p. 445.* de ingente periculo, quod die II. instat, *p. 446.* de aegri viribus prorsus imparibus, vt febri a resorpta sanie exclusae resistant, *p. 448.* de aegro puris copia obruto et fato succumbente, *p. 451.* de cristis a Medico non erigendis,

quando

quando ipſi non cum diſcretis, ſed cum confluentibus, et aegris adultis, res eſt, ne ſeruatos a ſe iudicet, quos non occiderit, *p.* 477. 478. de ſummo et tremendo diſcrimine febris putridae, variolis confluentibus ſuperueniente, a *p.* 688 - 697. etc. Haec omnia, opinor, confidenter Tibi opponi poſſunt, EXIMIE HAËNI, quando poſt SYDENHAMVM, LISTERVM, BAGLIVVM, SCHMIDIVM, LOEBERVM, (qui methodum boerhauianam Ienae olim primus introduxit, et omnino illis felicior fuit, qui Wedeliana remedia calida adhuc in deliciis habebant,) VIOLANTE, et alios adducis, et bonae methodo etiam malignas cedere ſtatuis a). Cedunt ei omnino interdum, ſed et valde malignae non cedunt, et non peſſimae, ceſſurae primo viſae, quandoque eam eludunt tamen, accedentibus circumſtantiis, in quas ſimpliciter nullo Medico eſt potentia. En recens exemplum! Foemina 24 annorum, ſpectabilis mercatoris vxor, inuiſit puellam, variolis diſcretis optimis laborantem, ipſa ob ſuperatum in infantia morbum, vt dicebat, ſecura.

a) *Refut. p.* 68 - 74.

cura. Aegrotare incipit, febrem catarrhalem, et pleuritidem ſpuriam ſimulat morbus. Medicus ordinarius, ex voto aegrae, me in lecto decumbentem conſultum adit; ſuadeo fomentum emolliens, potum multum hordeaceum, potionem ex aquis ſtillatitiis, cum nitro et oxymelle ſimplici, atque ſi pulſus eam indicet, VSnem. Ille menſes largiter, iuſto termino, fluere, mihi enarrat, pulſumque vix a naturali motu recedere aſſeuerat, quare, vt naturalem ſanguinis euacuationem promouerem, clyſma emolliens, et fomentum abdomini admouendum ſuadeo. De aliqua in deglutiendo difficultate conquerens aegra, irritans ſal, et oxymel, non libenter quidem, monita tamen, aſſumit. Tertio die erumpunt in facie puſtulae, quas nemo adſtantium variolas habet, donec Medicus, ipſe primo ceſpitans, eas adeſſe pronunciat. Continuantur remedia, pergunt catamenia, clyſma quotidie iniicitur, gutturis dolor augetur, ita vt chirurgo opus ſit, variolae confluunt. Septimo die amici enixe a me petunt, vt lectica vectus aegram viſita-

visitarem, annuo tandem, vix scalas adscendere valens. Video variolas admodum confluentes, sed laete rubentes et suppurare incipientes, neque adhuc ab earum natura periculum metuo. At labia, nasi interiora, totum os internum, et lingua, et omnis faucium superficies, pelle variolosa obducebatur, erat vox rauca, deglutitionis summa difficultas, saliua mirum quantum viscida, ad metum suffocationis vsque, pulsu interim sat bono. Facile intelligebam, hoc vrgens symptoma plus metuendum esse, quam morbum ipsum, quare cum acetum et nitrum in gargarismate exulare deberet, nulla ratione ferendum, mel simplex cum decocto emollientissimo noctes atque dies iniici faciebam. Simul praescribebam cum Collega meo honoratissimo, emulsionem lenientissimam, cum nitri ea quantitate, vt gustus falli posset, exhibebatur simul, pro affluxu saliuae viscidae reuellendo, identidem portio mannae, extus admouebantur fomenta, sed his, et aliis incassum actis, pure pustularum non prorsus illaudabili, 11. die misera nihi-

 lominus

lominus anginosa et anxia suffocabatur. VSnem pulsus paruitas et debilitas vetabat, vapor aceti, per conclaue diffusus, ad tempus saltem in vsum vocari poterat, et abesse tandem debebat, cum tussim ferinam prouocaret, suffocationis periculum augentem. Similes eiusmodi casus, qui saltem mihi vni, inter Medicos, opinor, non obuenient, me credere faciunt, ad eam paupertatem saepe in vasto illo medicinalis materiei campo redigi doctissimum et expertissimum quemque, sine exceptione, Practicum, vt in curatione variolarum nesciat, quo se vertat, et vt dare cogatur multitudinem funerum, a naturalibus.

  

Tu, EGREGIE HAËNI, quando non admittere vis calculos Cl. KIRKPATRIK et IVRIN a) fere, saltem ante oculos habes LISTERVM, et Tibi fauentes alios auctores, de benignitate morbi scribentes, vt numerum mortuorum a naturalibus minuas, et numero post inoculationem tumulatorum haud maiorem stabilias, obliuisceris iterum pene omnium testimoniorum, de strage a malignis vario-

a) *Refutat. p. 78-84.*

variolis edita. Haec tamen, a tot ſinceris ſcriptoribus (atque praecipue a Practicis, quibus magnus fuit numerus Variolis affectorum aegrorum,) ſuppeditantur, magna copia. Non minus, quando occaſione deſumta, ab inoculatione Conſtantinopolitana, feliciore quam Anglica, licet maiori arte inſtituta, taxas clariſſimos Viros, MADDOX et DODDRIGE, vt verbi diuini Interpretes, ita inoculationis Patronos, iterum ad LISTERVM et BAGLIVVM prouocas, pro benignitate naturalium ſtantes. An putas, VIR OPTIME, plane non audiendos eſſe, FERNELIVM, PLATERVM, SENNERTVM, RIVERIVM, PRIMEROSIVM, SEBIZIVM, TVLPIVM, et alios multos a Cl. TISSOTO allegatos, qui voraciſſimas epidemias deſcribunt, vt proportio iuſta, inter mortes a naturalibus, et inoculatas ſtabiliatur. Porro, dum de infauſtis ſucceſſubus inoculationis paſſim obſeruatis agitur, recuſas aliquid tribuere hominibus, qui illotis manibus illam adornarunt a), querelasque haud iniuſtas IVRIN, TISSOTI, MATY, HALLERI obiter habes.

a) p. 97. 98. 99

Sane vt naturalibus decumbentes perduntur haud raro, a Semi-Medicis et Medicaſtris, cur a talibus non perderentur inoculandi? Vtrinque peccata admittenda ſunt. Talia adeo a veris Medicis commiſſa agnoſcit TISSOTVS a). Nimis longum foret, ſpeciatim perquirere catalogos et calculos Londinenſes demortuorum naturalibus, et ſeruatorum inſititiis, eo fine publicatos, vt praerogatiua inoculationis in omnium oculos incurrat, quos Tu rigoroſe examinas, atque de quorum integritate et fide aperte dubitas, quod omnino durum eſt b). Si alienas obſeruationes omnes, a Viris fallere nolentibus factas, noſtras facere, et tanquam veras aſſumere recuſaverimus, in arctiores et arctiſſimos limites cito redigetur vnius indiuidui medentum ſcientia, et experientia, ob artem longam, et vitam breuem. Oculi plus vident quam oculus. Poteram adhuc quaedam monere, contra Tuas animaduerſiones, ſed nolo. Peto ſaltem, vt conſideres, ipſum amicum Tuum, Cel. RASTIVM, inoculationi contrarium, tamen candide elo-

a) *Lettre p. 51.*

b) *Refutat. p. 114.*

eloqui, *quod negari nequeat, minores numero, ab inoculatis variolis, quam a naturalibus mori, rationemque physicam a fluente diu insitionis vulnere deducere* a). Deinde permittas obsecro, vt Tibi in memoriam reuocem recentiores felices successus inoculationis Florentiae obseruatos b). Tandem patere, vt adducam ipsissima verba, quae in nouellis publicis Londino ad nos transmissa sunt, elapso demum anno, mense Decembri. *Illis, qui tot obiectiones contra inoculationem consarcinant, sequens extractus ex Indice aegrorum Nosocomii Londinensis nouum argumentum, conuincens de vtilitate huius inuenti, suppeditabit. A die 26. Septembr. anni 1746. vsque ad 24. Mart. 1763. in nosocomio variolis naturalibus decubuerunt 6456. et artificiales passi sunt 3434. Ex prioribus mortui sunt 1634. ex posterioribus saltem 10. Qualis Proportio!* c) Silentio praeterire nequeo dissertationem superiore demum anno habitam, a *Iohanne Andrea* MVRRAY Holmiensi, *Fata Variolarum insitionis in Suecia* exponentem. Docetur in ea, susceptam licet serius,

a) *vide de Haën Respons. ad meam epist. p. 42*

b) *Giornale di Medicina Decembr. 1762.*

c) Hamburger Zeitungen 1763. No. 198.

anno 1754. in Suecia operationem, tamen ocyus progressam esse, nec a Medicis, nec a Theologis, nec a Magistratubus impeditam, sed ab omnibus suffultam. Probatur, necessariam eandem fuisse, ob tristes epidemias; quae interdum tertiam, vel quartam aegrorum partem rapuerunt. Probatur eius necessitas porro ex Necrologiis, quae minimum 9000 homines in Suecia quotannis variolis mori ostendunt. Recensentur deinde inoculationes a Cl. SCHVLTZIO, Londino reduce praecipue, tum et ab aliis, *Bergio*, *Westmanno*, *Hartmanno*, *Gislero*, cum fructu susceptae. Tandem Cl. MVRRAY promittit, se historiam inoculationis in Patria hic ad finem anni 1761 traditam, vlterius traditurum. Audio Te, AESTVMATISSIME HAËNI, mihi consilium subministrare, vt, valere iussa Anglia et Suecia, in Galliam potius proficiscar, atque quot turbas in hoc regno, et eius Metropoli, excitauerit inoculatio, accuratius discam. Noui magnos illos, rumore plebeculae primo motos, deinde ad spectatissima Theo-

logorum

logorum et Medicorum Collegia tranſeuntes tumultus, fataque inſitionis Pariſiis exulare iuſſae. Legi quoque inde ad nos perſcriptum fuiſſe: *Cum multi adeo homines, ab aliquo tempore, per inoculationem vitam amiſerint, nouum hoc inuentum omnem ſui exiſtimationem perdidit* a). Sed ecce! dum actum de eo iudicaſſes, caput iterum effert; non ſaltem enim extra vrbem Pariſienſem, in ſuburbiis, et confiniis ſtrenue adhuc inſtituitur, ſed et noui exſurgunt eius defenſores. Comparuere quippe recentia tria ſchediaſmata apologetica pro eadem. Primum titulum gerit: *Reponſe a une des principales objections, qu'on oppoſe aux Partiſans de l'inoculation*, et praecipue confutat RASTII argumentum, de aucto periculo variolarum per inſitionem, ex necrologiis Londinenſibus deductum. Secundum eſt: *Lettre de Mr. Gatti, Profeſſeur de l'Univerſité de Piſe a Mr. Roux*. Hic GATTI ſine iuſta praecautione inſitionem ſuſcepiſſe, atque ea propter ad eius impeditionem plurimum contuliſſe dicitur, apud illuſtriſſimas Familias

a) Breſslauiſche Zeitungen *Paris. 3 Aug. 1759.*

operationem inſtituens, quare et Pariſiis exceſſit. Ipſe in paruo hoc libello fatetur, ſe praeparationem ſuperuacaneam habuiſſe, cum morbum haud difficilem iudicauerit; aſſerit parum a veneno, omnia a diſpoſitione corporis pendere, et multa ad praeſtantiam inoculationis euincendam facientia habet. Tertium ſchediaſma inſcribitur: *Le Conſeil de la raiſon ſur l'inoculation*, de quo alibi agendi occaſionem nanciſcar. Praeter haec prouoco hic ad nouas defenſiones Pariſienſes, Cel. *de* ROBERT, et alicuius ANONYMI, de quibus in antecedentibus iam verba feci. Age vero, ex Gallia euolemus in Patriam tuam, Belgium! Illuſtris GAVBII, *van* GHERT, aliorumque exemplis haud motus Cl. GVALTHERVS *van* DOEVEREN, Groeningae ſermonem academicum anno 1761. habuit, *de erroribus Medicorum vtilitate non carentibus.* In eo teſtimonia ſummorum Virorum habentur, qui Variolas vt hoſtem ſaepe inuincibilem conſiderant, quibus eo deducitur auctor, vt nomen ſuum illorum claſſi adſcribendum velit, qui ino-

cula-

culatione praecipue eum vincendum ſtatuunt. En Conterraneum Tuum, valde diuerſa a mente Tua ſentientem!

  

Sed nouis iterum armis inſtructus, iisdemque ſat validis, FORTISSIME HAËNI, contra raritatem funerum ab inoculatis variolis acriter pugnare pergis, *in reſponſione ad meam epiſtolam.* Exempla ibi adfers, talia omnino, quae omnes patronos inſitionis, quibus leuis animus non eſt, meditabundos reddere, et ad tempus minimum ſuspendere a ſuorum artificiorum continuatione deberent. Contra duas puellas Lugdunenſes, curatiſſime praeparatas, et tamen mortuas, nil habeo quod opponam. Impenſe doleo vices nobiliſſimi Viri A. qui Haga Londinum ſe contulit cum filio, vt vitam eius inoculatione lucraretur, et eum ibi variolis morientem luxit. Expreſſo mandato diuino obſequentiſſimus, et fide totus perfuſus, Abrahamus abiit in terram Moriae, filium ſuum vnicum in monte immolaturus; ſed ſuperata feliciter tentatione, illum, obten-

ta coelitus benedictione promissaque sibi posterorum suorum multiplicatione, vt stellae in firmamento, et arena in littoribus maris, incolumem secum reduxit. At miser ille Pater, nulla vocatione diuina accepta, non sine summo tristitiae affectu, Hagam orbus filio suo iterum repetiit. Sique Abrahami et Isaaci historia forte menti reuertentis haud obuersata est, etiam sine hac imagine, ad propriam vrnam vsque immanis eius luctus debuit perdurare. Tristem recensionem filioli ciuis Hamburgensis, cuius obitum ipse parens insitioni haud tribuendum statuit, lecturi Tui, VIR CELEBERRIME, antagonistae, sine dubio dicent, terrorem a tempestate omnia perdidisse, casum neminem praestare, magisque perito Medico et Chirurgo tradendum fuisse pusionem, plausibilemque hanc exculpationem non pauci, etiam ab inoculatione abstinentes, sine dubio habebunt. Non vero etiam negare poterunt, Te legitime inde inferre, si licuerit talia eodem iure applicare naturalibus, vt omnino licet, et ea propter his demortuorum numerum

minu-

minuendum fore, et expungendos ex catalogo plures, non ab ipſo morbo proprie, ſed per accidens necatos. At deplorabile fatum lectiſſimi Filii, *Comitis de S.* quod in appendice adeo graphice depingis, certam tuam fidem interponens, cuius inoculationi adeo nil defuit, vt potius adminiſtrandi methodus, cynoſurae inſtar, laudari debeat ab omnibus Patronis eius, dirum, inquam, hoc fatum, dum perſonam afflictiſſimi parentis induo, et imaginor, ita me percutit, ita animum meum perturbat, vt ex tremente manu calamus excidat. Sincere ſcribo, aliquoties in eo fui hactenus, vt 19 annorum filiam meam obedientiſſimam, chariſſimam mihi *Chriſtianam*, (quae callida diſceptationes hodiernas de ſecuritate et inſecuritate inſitionis expiſcata eſt, et ſemper eam humaniter fuit deprecata,) blandimentis, et paternis monitis, et ſeuerioribus exhortationibus perſuaderem, operationi ſeſe ſubmitteret. Optima quaeuis ſcilicet, et amatae filiae certiorem conſeruationem inde ſperans, et infortunatos caſus, qui, matrimonium forte ingreſſae

greſſae variolis ſuperuenientibus, accidere poterant, feliciter me auerruncaturum autumabam. Iam valde ancipitem me tenet, et moras nectere facit tragicae adeo inſitionis notitia, ceſpitantque mecum patres alii, qui olim liberos ſuos mihi inoculandos tradere cogitabant, ex quo illam ipſis communicaui. Eſto, rariorem eſſe eiusmodi infauſtum euentum, quia tamen exſtitit, ſumma praecautione non obſtante; quia deinde non exiſtit ſolus, ſed alios ſimiles etiam eueniſſe certo conſtat; quia nemo praedicere poteſt, an non iterum iterumque, omnibus cautelis obſeruatis, inter centum vel quinquaginta fauſtiſſimos vnus talis accidere queat; quod valde probabile redditur, alienis periculis edoctos, ſaltem cautius mercari decet. Valde metuo, ne eiusmodi hiſtorias, compoſito animo vix audiendas, vel legendas, edocti variolarum adultiores candidati, in biuio conſtituantur, et incidere malint in manus Dei, quam hominum. Tragicus omnino eſt ille caſus, quem Cl. SCHVLTZIVS a) recenſet, filii, qui ſe, et parentibus inſciis

a) *Part. I. p.185. in notis.*

inſciis naturale variolarum contagium hauſerat, atque ab ipſis trans mare prima vice mittebatur. Vix reliquerat portum, cum aegrotaret; habebatur morbus pro morbo nauigantium tranſitorio, ſed 4 die erumpebant variolae, quae iuuenem vita priuabant, acerbe moerentibus parentibus. Sed hi, inter dolores et lachrymas, multo tamen feliciores erant ſupra memorato Comite S. quia prorſus nihil ad fatum filii contulerant. Habeo adhuc aliam hiſtoriam valde triſtem, ſed tamen longe minus, quam modo memorati Comitis, de cuius interim pleniſſima integritate non reſpondeo, refero vero illam vt accepi ab Illuſtriſſimo quodam Viro, diutius Viennae commorato. Aegrotabant variolis in Collegio Thereſiano nobiliſſimi iuuenes, et inter eos filius dilectiſſimus ipſius *Archiatrorum Comitis L. B. van* SWIETEN. Ob officia, quibus Aulae Caeſareae obſtringitur, non licebat ipſi, eum inuiſere, ſed chari adeo capitis cura aliis Medicis erat relinquenda. Inter 29 qui eluctabantur, moritur gnatus, tanto genitore digniſſimus.

Hic



Hic dum triſte nuncium apportatur, admiranda, et a pauciſſimis imitanda chriſtianiſſimae philoſophiae praxi, prorumpentibus aliquot lachrymulis, ſed ad grauitatem compoſito vultu: *Omnes*, ait, *decimas terrae, de ſeminibus et fructubus arborum, DEVS olim ſibi ſacras voluit* a). *Quodſi nunc ex decumbentibus ſaltem trigeſimum ſuum velit, et meum filium ſibi elegerit, eccur ego illum fidis eius manibus, bonae eius voluntati enixe obediens, haud traderem!* Poterat Vir ſummus, nutum prouidentiae ſupplex adorans, acquieſcere, cui vni ſe, et ſuos, committere ſemper fuit ſolitus, namque morbum proprio conſilio et arte haud aduocauerat. Verum filius Comitis *de S.* moriebatur variolis arte factis, ſique non ob variolas, non ob inſitionem, tamen per inſitionem, a vulnere gangraenoſo, quae via ad mortem, ne quidem in naturalibus eſt poſſibilis. Clamabunt vno ore Inſitores omnes, ſi hic mortuus ſit ab inſitione, et filium illum in mari, et filium Ill. *van* SWIETEN non moriturum fuiſſe, ſi antea ſuſcepta fuiſſet inoculatio. Concedo

poſſi-

a) *Leuit.* XXVII. 30.

poſſibilitatem, quin non paruam probabilitatem agnoſco, hoc ita euenire potuiſſe, plenam tamen certitudinem, quae a nemine praedici poteſt, deſidero. An Comiti *de S.* ſolidum ſolamen enaſci poteſt ab effato Cl. SCHVLTZII a)? qui aſſerere audet: *Si aliquis ab inſitione moriatur, certos eſſe poſſe agnatos, quod nunquam naturalem morbum ſuperaſſet, ſed aeque eo fatis ceſſiſſet, quia praeualens inoculatio vitam ſeruare haud potuit.* Id puto ſupponitur, ſed non euincitur, neque euinci ita poteſt, vt ſurgat ſufficiens et idonea conuictio. Alio tempore, ſi naturales expectatae fuiſſent, poterat adeſſe alia conſtitutio aëris, poterat enata eſſe alia corporis conſtitutio, alia indicibilis idioſyncraſia; nimis norunt Practici, minimam in his et aliis circumſtantiam mutare totum morbi ingenium. Sed audiamus etiam de hoc argumento differentem Cl. TISSOTVM b). Is ad haeſitationem parentum, rem luctuoſiſſimam habiturorum, ſi proles eorundem illius pientiſſimae ſollicitudinis, qua conſeruationi eius conſultum cupiunt, inſons

a) *Part. I. p. 162. 163.*

b) *Inoculat. juſtif. §. 56.*

ſons victima euaderet, ita reſpondet: *Metus huius luctus nititur vana imaginatione, quia rite inſtituta inoculatio neminem perimit. Neque querelis locus erit, niſi forte operatio commiſſa fuiſſet Medico indocto, aut agyrtae, ad eam inſtituendam prorſus inhabili.* An haec applicari queant letho dilectiſſimi filii noſtri Comitis, videant lectores, an primus eſt hic aeger poſt inſitionem mortuus? an ipſe Cel. TISSOTVS aliter agere potuiſſet, illi variolas inſiturus? Venio ad Cel. *de la* CONDAMINE a), qui non minus quaeſtionem mouet, an tenerrimo corde parens queat praemeditato conſilio ſubiicere morbo, quo mori poſſet, filium vnicum, ſi vel centeſimum, ducenteſimum, trecenteſimum operatio abſumeret? Reſpondet breuibus: *Omnino, vt a maiori periculo eum vindicet.* Pergit, hanc quaeſtionem non ſoluendam eſſe per Philoſophiam moralem, non eam caſum conſcientiae involuere, ſed eſſe problema arithmeticum. Periculum maius et minus, in quo verſatur filius, admiſſa vel omiſſa inoculatione, deciſionem ſuppeditare. Perorat

a) *Part. II. p. 54. ſeq.*

rat in ſequentibus eloquentiſſimus Vir ita ſuam ſententiam, vt attentiſſimos et auditores olim, et nunc lectores ſuos, in aſſenſum pellicere queat. Sed, quod notare fas erit, omnia argumenta ſunt arithmetica, nituntur que aſſumto principio, a naturalibus ſeptimo moriendum eſſe, cum inoculatae variolae vix trecenteſimum abripiant. Si amatiſſimus etiam filius moriatur per inſitionem, patrem feciſſe, aſſerit, quod facere debuit. Illuſtrans adiicit argumentum, a Domino quodam petitum, qui prudens 350 iuuenibus ſuis mancipiis, ne ſeptimam partem perdat, ſed vnicum eorum ſaltem, inſeri facit variolas; alia ſimilia, non probantia, ſed illuſtrantia ſaltem, quae veritates antea euictas ſupponunt, ſilentio praetereo. Pace SPECTATISSIMI VIRI, ad eius cogitata aliquas animaduerſiones in medium proferam. Si per obſeruationes ILLVSTR. DE HAËN, aliorumque magnorum et oculatiſſimorum Virorum, quibus fidem denegare abſonum et turpe foret, ſenſim per experientiam repetitam, multiplicetur numerus

 fune-

funerum ab insitione patratorum, alia prorsus emerget proportio arithmetica, et periculum ab inoculatis variolis fiet maius, illo, quod a naturalibus imminet, maxime si artis medicae incrementa speranda sint, decreturo. Forte non tercentesimus saltem hominum inoculatorum, sed a trecentis eorum plures fatis cedunt. Forte a naturalibus non septimus quisque sed duodecimus, vigesimus, trigesimus, saltem interdum vita priuatur. Impossibile pene est, vt vnum idemque omni tempore ponatur computationis fundamentum. Deinde, si parens quidam perdat amatissimum filium per inoculationem, seruatis interea eius beneficio tercentis aliis, aliorum filiis, si vel maxime obfirmati animi fuerit, semper ipsi restabit cogitatio, se suum, licet olim naturalibus abripiendum, saltem ad tempus adhuc possidere potuisse, pro vitae suae solatio et dulcedine. Alius autem prorsus scopus erit Domini de conseruatione mancipiorum solliciti, qui suis commodis, et suae fortunae, illa omnia impendit, alius affectus parenti, qui se totum

for-

fortunasque ſuas impendit filio. Diuerſa valde ſunt viſionis puncta, ex quibus adſpici ſeſe patitur inſitio, diuerſam ſemper faciem contuentibus exhibitura. Si obtutu politico defixus in ea haeream, ſi conſulendum ſit Reipublicae, et numero ciuium, vrbes et regiones habitantium, pro conſeruanda ſecuritate publica; ſi conſulendum ſit vnice commodis regum atque principum, admiſſo hoc principio: quod inoculatio plures conſeruet, quam ſi morbus naturali viae permittatur, illa omnino porro admittenda videtur. Etenim tum nil refert, quis moriatur, ſed ſaltem quot moriantur, et ſatisfit problemati arithmetico. Verum, ſi euicta poſſibilitate mortis aut periculi ſummi, de quibus amplius dubitari nequit, etiam poſt optimam praeparationem corporum, et poſt acta omnia ordine et decenter, quae agenda inculcantur, ſimul et actionum noſtrarum moralitatem, et inſitionem conſiderem, aliam iterum ſpeciem haec induit. Ille tandem affectus paternus et maternus, quem graeci peculiari voce ϛοργὴν appellare con-

 ſue-

 

ſueuere, quique pauperem agricolam deamare facit filium ſuum, ac ſi principum ſanguine ſatus eſſet, omnes reſpectus politicos ignorat. Ponam 100 patres, de filiis ſuis inoculationi ſubiiciendis adhuc dubios; dicatur ipſis, nil ſubeſſe periculi ab eadem, ſed potius, poſt ingentia commoda inde expectanda, viuis coloribus repraeſentetur discrimen variolarum naturalium; omnes annuent. Legant vero omnes libellum ILL. *de* HAËN mihi deſtinatum, ſciant hiſtorias omnes, quas complectitur, quarum nulla efficta eſt, ſuppoſititia, dubia, et falſa nulla, Virtus quippe et amor veri hic etiam in hoſte laudari debet; paucis dicam, clarius intelligant, non adeo tutam eſſe inſitionem, vt ante aliquot annos habebatur; audiant eorum 99 vel 98 conſeruaturos ſuos filios, horumque centeſimum ſaltem vel quinquageſimum moriturum, cum plures mori queant; haeſitabunt, opinor, omnes, minimum e noſtris etiam prudentiſſimi, namque exiſtimabit quiuis eorum, poſſibile eſſe, vt moriturus ſit ſuus, vel alicuius agnati, qui

tamen

tamen non abſolute certa naturalium victima in poſterum futurus erat. Sique forte patrum horum quidam gererent in venis ſanguinem, antiquato Romano adhuc ſimilem, vnico communi reipublicae commodo, nulli priuato dicatum, poſthabitaque in natos teneritudine, frigidum manentem, et ad ſtatum tempus, quo ſaltem incertae aleae eorum vita exponitur, in citatiorem motum haud abreptum, an et filiis paulo adultioribus, et ancipitem pauliſper conditionem ſuam, quam ingrediuntur, introſpicientibus, talis erit? Legat, qui volet, pater, recens ſchediaſma gallicum, cuius iam mentionem feci: *Le Conſeil de la raiſon, ou Lettre de Mr. N. N. de l'academie de Danemarc à Mr. E. M. de l'academie de Chirurgie de Paris, ſur l'inoculation*, quod proprie eſt epiſtola alicuius parentis, qui liberos ſuos feliciter inoculationi ſubiecit. Sique exinde omnibus et ſingulis parentibus magna et noua in illam fiducia enaſcatur, ego quidem haud refragabor, neque ſi intentio fuerit in ſe bona, ſiniſterque euentus eam ſubſequatur, illam ſum crimina-

 

minaturus. Quis enim pater, a quo ſi filius petierit panem, lapidem dabit illi, aut ſi piſcem, num pro piſce ſerpentem dabit illi, aut ſi petierit ouum, num porriget illi ſcorpionem? *Lucae XI. 11. 12.* Videant ſaltem omnes ne noceant vnquam, quando quammaxime volunt prodeſſe. Reminiſcor, dum his conſiderationibus immoror, verborum *Tertulliani Tr. de poenitentia cap. VIII.* quae ſine moto teneritudinis affectu nunquam in memoriam reuoco. Loquitur reuerendus eccleſiae pater de perdito filio, quem poenitentem et reuertentem parens incredibili amore excepit, flexoque ſermone ad communem noſtrum Patrem in coelis, filiorum ſuorum, peccatorum reuerſorum, miſerentem, de hoc venerabundus exclamat: *Tam pius nemo, tam pater nemo!* Liceat mihi haec verba iterum trahere ad parentes naturales, atque quando filiorum non perditorum, ſed obſequioſorum et proborum adeo, operationi non omnino ſecurae ſubiiciendorum, mentionem facio, palam eloqui: *Vt nullus illorum corde angatur, tam parum*

pius

pius nemo, tam parum pater nemo. Quae vero apud nos erit conditio Medici, ſi male cedentem inſitionem ſuaſiſſet? cum raro aliquis pereat, cuius fatum ab agnatis ipſi haud tribuitur, licet non fuerit ipſius morbi artifex.

QVAESTIO VII.

An inoculatas variolas paſſi nulla vnquam incommoda, morbosque alios inde ſibi contrahant?

Recte aſſeris, ILL. HAËNI, inter praerogatiuas inſitionis communiter referri, quod naturales varios morbos poſt ſe relinquant, inoculatae nullos. Adeo feliciter has finiri, ad Cl. RANBY prouocans, contendit Celeb. TISSOT a), vt ex centum inoculatis ne vnus ſit, cui aliquid vlceroſi remaneat. Ill. *de la* CONDAMINE b) ad eandem prorſus quaeſtionem, qualis haec Tua ſeptima eſt, ſibi ipſi propoſitam reſpondet, naturalibus ſequelas morboſas familiares eſſe, raro autem mali quippiam inſititias ſubſequi,

a) *Inoculat. juſtif.* §. 88

b) *Part. II. Obj.* 4.

 niſi

nisi imprudenter sese gesserit aeger, et Chirurgi imperitia peccauerit. Horum, vt videtur, vestigia premit Cl. WETSCHIVS *in Praef. p. 19.* nunquam variolas insititias chronicos morbos post se relinquere, contendens. Longe tamen aliter, quod mirum et paradoxum videri debet, inoculationis Fautor, Ill. MEAD a), sentit. Is enim disertis verbis, frequentius in morbo arte effecto, quam qui sponte sit ortus, furunculos et tumores sub auribus, atque in alis superuenire, scribit, eaque propter addit: idoneis remediis, iisque frequentius, quam in naturali morbo vsitatum est, adhibitis, corpus purgari necessum esse. Tumores eiusmodi post insititias enasci, etiam SCHVLTZIVS b) largitur, non omnia expectanda esse ab inoculatione monens. Iam a Te, VENERANDE HAËNI, post exempla in refutatione Tua inoculationis allata, RASTIVS adducitur testis, de relictis ab inoculatione haemorrhagia vterina, abscessubus fistulosis, claudicatione, atque in multis causaria valetudine diuturna. Plenam adhibeo huic auctori fidem, nam in omni-

a) *de Variolis cap. V. circa finem.*

b) *Part. I. p. 137.*

omnium oculos Lugduni incurrere debuerunt hi euentus, publico vrbis teſtimonio, tanquam appenſo aliquo ſigillo, comprobandi, quamuis in *nouis litterariis Goettingenſibus Anno 1764. menſe Ian. p. 62* recenſioni cogitatorum eius de inoculatione, aliud impreſſum inueniam, verba ſcilicet: *Omnem reliquam Europam peſſimas ſequelas inoculationis, a Raſtio notatas, ignorare.* Ego per ipſa effata MEADII et SCHVLTZII, magnorum hodie inoculatorum, quorum modo mentionem feci, et per obſeruationes aliorum, iubeor credere, mala varia reſidua ab inſitione. Largieris tamen etiam, CELEB. HAËNI, poſt naturales non minus, ſaepe diu cum furunculis, cum foedis vlceribus, cum tumoribus articulorum, cum diarrhoeis, cum febribus lentis, cum ipſa phthiſi, et nimis ſaepe cum vitiis oculorum, quae inoculatio pene ignorat, adeo ad viſus perditionem, colluctandum eſſe. Vt SCHVLTZIVS ab inſititiis mala emergentia admittit, ita et vrget merito miſerabiles ſequelas a naturalibus, atque ea propter priora nimis vrgeri

 cen-

censet. *Quis nescit*, inquit, *quo copiosiores naturales pustulae, eo maiora et plura mala, ab iis residua. Confluentes ordinarie sequuntur tumores, paraclyses, contracturae, phthises, defectus visus, et auditus. Si inter 100 inoculatos vni vnum ex his malis accidat, statim acerbae exprobrationes praesto sunt, non vero vituperio afficitur Medicus, et res datur obliuioni, si ex passis naturales variolas, quinto luctuosissima accidentia eueniant. Dolendum, quod illi, qui contra inoculationem scripserunt, ipsi omni propria experientia destituti fuerint.* WAGSTOSTE, BLACKMORE, GOHLIVS, CLINCH, HEQVET, *de la* VIGNE, et *Pharmacopoei*, MASSEY et HOWGRAVE, *non propria experientia vsi sunt, et scripserunt, cum inoculatio in Europa 4 vel 5. annum aetatis suae ageret.* CANTWEL *aliquoties ipse feliciter instituit operationem, quam postea, nescio ex qua causa, missam fecit. Igitur deficiente experientia propria, boni Viri publico obiectiones proposuerunt, quas praeiudicatae opiniones ipsis suppeditarunt. Ita scriptum fuit contra chinam magno feruore ab illis, qui eam non in* vsum

vſum vocauerant. Si vel de minimo malo, quod febricitanti ea vſo poſtea accidiſſet, aliquid audiebant, ſtatim culpam in remedium coniiciebant, licet id a multis ſeculis, nondum china inuenta, aegris febricitantibus quoque accidiſſet. Idem fatum experiri debuit inoculatio. etc. etc. a). Sane ſi dicendum quod res eſt, ab illo aeuo, quo innotuere variolae, ad hunc diem myriades exemplorum proſtitere, triſtium veſtigiorum, quae in corpore humano, omnibusque eius partibus, illae poſt ſe reliquerunt. Omnia ſcripta de variolis, talium malorum commemoratione abundant, atque ego ipſe bene multa pertinacius affligentia, et diu vel per omnem vitam maxime in oculis ſanationi reſiſtentia vidi, a confluentibus potiſſimum, ſed et a diſcretis. Liceat mihi ſuccinctum, ſed atrocem eorum catalogum conſignare, qui, ſi omnes obſeruatores euoluere iuuaret, ad ingentem prolixitatem excreſceret. A variolis reſiduam maniam habent Act. N. C. Dec. I. Anno VI. et VII. Obſ. 93. amentiam *Riedlinus*, Cur. med. 794. firmam labiorum coali-

a) *Part. I. p. 176. 177. 178. et in notis.*

coalitionem A. N. C. Vol. I. Obſ. 4. p. 53. Coalitum narium Bartholingus, Act. Haffn. Vol. I. Obſ. 9. Loquelae defectum Riedlingus, Lin. med. An. IV. Dec. Obſ. 26. Aphoniam M. N. C. Dec. I. Anno II. Obſ. 20. Hildanus Cent. IV. Obſ. 82. Cancrum faciei M. N. C. Cent. I. Obſ. 123. labii cum miſera morte Hoffm. Med. ſyſt. Tom. IV. Part. I. p. 184. Viſum valde imminutum Riedlin. Lin. med. Ao. IV. p. 1026. Ophthalmiam, coecitatem M. N. C. Dec. III. Anno IV. Obſ. 1. eroſiones corneae et in vtroque oculo coecitatem Hildanus Cent. VI. Obſ. 82. Hypopium et fiſtulas lachrymales, viſum abolitum in totum, ego ipſe aliquoties vidi. Coecitatem et ſurditatem Hagendornius Cent. II. Hiſt. 71. Tumorem colli ſcrophuloſum Act. Berolinenſia Dec. II. Vol. V. p. 29. Abſceſſus articulorum Salmuthus Cent. I. Obſ. 35. lethales eiusmodi abſceſſus Hildanus Cent. VI. Obſ. 82. fiſtuloſos, ipſi oſſium compagi haud parcentes, M. N. C. Dec. III. Anno III Obſ. 126. Apoſtema coxae cum claudicatione, Hagendornius Cent. II. Hiſt. 69. Contractu-

ram

ram Salmuthus Cent. I. Obſ. 34. Tumores duros in pedibus, Hoffm. Med. ſyſt. Tom. IV. Part. I. p. 175. Cachexiam Riedlin. Lin. med. Anno V. p. 188. Alui fluxum cruentum Hagendornius, Cent. II. Hiſt. 66. Vlcera Hiſt. Morb. Vrat. p. 1700. p. 6. Laernam malorum Tulpius Lib. IV. Obſ. 52. qui variolas epidemicas deſcribens, illas, quos non occiderint, ſaltem voce, viſu, auditu, inceſſu aliorumque membrorum vſu priuaſſe, refert, quarum contagium non tantum infecit quemcunque obuium, verum etiam interdum corpora a morbillis adhuc rubentia, idque cum febre ardente, vlceribus malignis, etc. etc. Idem atrox contagium conualeſcentibus reliquit vlcera in adnata, caliginem in pupilla, immedicabilia glaucomata, eroſa pulmonum, iecinoris, et lienis viſcera, foeda partium extremarum vlcera, quorum tetro halitu non ſaltem inficiebantur non magis aegri, quam qui illorum curam gererent, in quorum facie, labiis et lingua vidiſſes peſſima illa vlcera, quaſi infallibilia inſtantis peſtilentiae praeſagia, quae etiam anno inſe-

quente

quente in patria, et potiſſimum Harlemi et Lugduni, Batavorum multa hominum millia trucidauit. At nondum finis! Tuſſim ferinam, tabem, hecticam, phthiſin habent a variolis M. N. C. Dec. III. Ao. 4 Obſ. 1. et in corpore Sereniſſimi Principis Saxoniae Hoffmannus Med. ſyſt. Tom. III. p. 245. Paralyſin Hagendornius Cent. II. Hiſt. 73. Paedarthrocacen in manibus, pedibus, ſpina dorſi, morte terminatam, M. N. C. Dec. III. Anno IV. Obſ. 1. Reliquias varii generis ſimul M. N. C. Dec. III. Anno IV. Obſ. 1. easque valde periculoſas Anno IX. Obſ. 33. Non poſſum mihi temperare, quin, quae olim notarunt Medici noſtri Vratislauienſes a), in medium adducam, quae ab initio ſeculi ad annum 1764 qui iam voluitur, mutatis ſaltem perſonis, repetitis ſaepe ſaepius iisdem ſpectaculis, triſtiſſimis poſterorum oculis eheu oblata ſunt. Variolis exſiccatis, aiunt, maiores tumores ſubinde et abſceſſus in artubus obſeruauimus, et licet variolae malignae, vel epidemicae, tum non graſſarentur, pus acerrimum plorantes, ve-

a) *Hiſt. Morb. Vr.* 1750. p. 6. 7.

nas

nas, nisi in tempore occurreretur, exedens, carnes consumens, ossa vitians, et membris omne robur adimens. Misere morientes ex abscessu et ossium carie viderunt, filiolum 18 septimanarum, et filiolam vnius anni, *Preussius et Grassius.* Poteram memorare casus, qui mihi obuenerunt, sed allati credo sufficient. En vero hic vastum dirissimisque miseriis refertissimum Theatrum, ab omni aeuo pansum, ex quo variolae naturales inter morbos suas personas sustinuerunt, quale, an inoculatae, tot tantisque lugubribus euentubus in scenam prodire iussis, vnquam exhibuerint, aut exhibiturae sint, adhuc dubito. Equidem diffiteri nolo, mala post morbum superatum remanentia et emergentia, subinde deberi neglectae ab aegris diaetae, et praecipue corporum refrigerationi, aliquando etiam intermissae a Medicis purgationi. At quicquid sit, clarissime tamen illa commonstrant, intimam variolarum naturalium naturam, quae nulla furca sese interdum expelli patitur, sed vsque recurrit. Vratislauienses Medici, vt quiuis locum

cum a me citatum euoluturus perſpiciet, nihil in ſe deſiderari paſſi ſunt, quoad methodum. Ego antiphlogiſtica, niſi paruitas pulſus obſtaret, ſemper adhibita, et matura catharſi in auxilium vocata, nec vitia oculorum, nec peſſima vlcera, praepedire potui, in proprio filio diu chirurgum agere, et apud alios aegros ipſum in ſubſidium vocare coactus. Virginem nobilem ante aliquot annos, vbi omnia agenda acta erant, et lenis catharſis per ſeptimanam continuata, nonniſi multa opera a lenta febre et tabe per Dei gratiam vindicaui. Nunc autem expendendum accuratius, et ſine praeiudicio, et computus decenter ineundus, numero ſubiectorum, quae inoculatione, vel naturali via variolas ſuſtinuere, inter ſe comparato, qualis detur proportio inter homines mala reſidua dolentes, vel a naturalibus puſtulis, vel ab arte factis. Erit credo numerus eorum, qui a prioribus dolent, et languent, longe maior, quam qui a poſterioribus. Sique tum numerus, morientium ab illis, etiam fuerit longe maior, quam ab his; ſi porro vitam

vitam ſeruare praeſtiterit, quam periculum nondum certum alicuius morbi chronici, olim ſanabilis, ſubire, praeſtabit quoque periclitari artificiales, quam naturales expectare variolas, poſt quarum abitum ad ſola oculorum vitia nimis frequentia auertenda, diuturnis taediis, a fonticulis, et veſicatoriis, et ſetacei carnificinae oriundis, ſaepius ſeſe ſubmittere oportet, et nihilominus non raro coecitate plenaria ademptam omnem vitae dulcedinem experiri.

QVAESTIO VIII.

Nunquid non propagent inoculatae variolae contagium?

Tota haec quaeſtio, quae ad Tuam, VIR SPECTATISSIME, controuerſiam cum Cel. TISSOTO praecipue pertinet, difficulter expendi, et ſolui, et decidi poteſt, niſi ad manus ſint Ephemerides inoculationum diuerſarum regionum, vrbiumque, et propriarum experientiarum in inoculando vbertas acceſſerit. Plauſibilibus, quod impugnari nequit, argumentis negauit TISSO-

TVS, inoculatione contagium propagari a). Aequus is admittit, vnum idemque esse virus, naturalium, et artificialium. Admittit porro, contagium natum ab inoculatis multos posse inficere b), sed tot infici constanter negat, quot Tu supposuisti c), et alibi d) fusius pauciorem numerum inficiendorum probat, cum non aeque et certo contagium in corpore actuosum reddatur suctum a venulis bibulis, in ambitu corporis hiantibus, haustumque inspiratione et deglutitione, quam inoculatum, quod stabile et fixum in loco vulneris haeret, succisque sese intimius insinuandi, dum diutius moras nectit, sufficientem occasionem adipiscitur. Deinde contagium immediatum facile euitari posse asserit, mediati autem periculum, si non is, qui versatus est circa aegrum, ad alium, qui adhuc infici potest, ipse accesserit, sed aliquis interueniat, minui; atque demum a paucissimis personis, quae aegro adsunt, et assistunt, non facile contagium aliorsum portari, contendit e). Porro, quia solum pus inficit, tempore

a) *Inoculat. justifiée §. 61. et fusius Lettre p. 63*

b) *pag. 65.*

c) *Quaest. p. 47. et 61.*

d) *Lettre p. 85. 86.*

e) *p. 66. 67.*

pore ſuppurationis, ſaltem eo durante, contagium agnoſcit TISSOTVS a), vimque omnem eius pendere dicit a quantitate puris et a calore, quo pus volatile redditur, et ad exhalandum idoneum. Quia vero in inoculatis parcius adeſt pus, et calor vix naturalem excedit, exhalationem etiam debiliorem eſſe, dicit, hinc et odorem pene nullum, cum naturales male oleant, ſaepe per totam domum. Tandem, per experientiam conſtare, affirmat, Londini, Geneuae, Bernae, Baſileae, inoculationes non auxiſſe contagium, Lauſannae ſub ipſa inoculatione non latius diſſeminatas eſſe variolas, epidemiam ceſſauiſſe, nec rediiſſe, nullas naturales variolas inſecutas fuiſſe b). Poſtremo rationibus ad calculum deductis probare nititur, inſitionis praerogatiuas, voraces epidemias ab inoculatione non pendentes, quae ſeptimum quemque abſumere ſoleant, vrgens c), cum variolae inoculatae ſint ordinarie diſcretae, raro admodum confluentes, et proinde valde mites. Interim Anonymus Gallus, defenſor inſitionis, tamen concedit,

a) pag. 68.

b) p. 69. 70.

c) p. 69. 70. 71. 72.

 hanc

hanc procreare epidemiam, ſed per eam minui inficiendorum numerum, et periculum a terrore et metu pendens, cuius euitatio, beneficio operationis, a cuiusuis libero arbitrio pendeat a). Ego, ſi quid video, prorſus impoſſibile habeo, determinare aliquem numerum inficiendorum per inoculationem, ſiue in gratiam inſitorum, ſiue antagoniſtarum eorundem. Etenim ad hauriendum contagium, vimque eius aliter non acturam, vere in actum deducendam, interna quaedam diſpoſitio ad morbum, in quouis indiuiduo requiritur, et rem omnem abſoluit, quam, an adſit, an minus, non nouimus, non praeuidemus, ſed a poſteriore demum adfuiſſe intelligimus. Noui, qui agnatis variolis affectis adfuerunt, aliquoties manſiſſe intactos, ſuo tamen tempore tandem infectos fuiſſe. Iam Tu, EXCELLENTISSIME HAËNI, ſepoſito calculo, vrges ſaltem, loco expectatarum variolarum diſcretarum et benignarum, ab inoculatione etiam aliquando malignas et confluentes procreari, ſaepeque aeſtum ingentem, copioſum pus, ex-

a) *vide Wetſchii verſionem p. 44. 45.*

exhalatione lethale generari, adeoque contagium maxime propagari. Sic ſane quosdam nodos gordios Celeb. TISSOTO, amico meo aeſtumatiſſimo, nexiſti, quos ipſi expediendos et ſoluendos relinquo. Tibi pollicem premit et ſubſidium validum affert Cel. RASTIVS a), qui, plus quam tertiae inoculatorum parti confluentes variolas obtigiſſe, memorat. Id ita factum eſſe, ego dubitare nolo, nam valde impudentis foret, rerum euentus, qui omnibus ciuitatis incolis innotuiſſe debuerunt, publice promulgare, quibus, ſi tales haud fuiſſent, vox publica contradiceret. Verum ſic ipſi celeberrimi Inſitores, qui inoculatas variolas ob paucum pus, et calorem fere naturalem, ad ſpargenda tetra effluuia impares habent, per ipſa ſua principia concedere tenebuntur, has, ſi confluentes fuerint, ob multitudinem puris et calorem febrilem magnum, qui a confluentibus vix abeſt, peſſimis exhalationibus aërem inquinare, et ita contagium latius diſſeminare. Quod autem eius translationem ad alios, per Medicos et Chirurgos, attinet, ego, ni fallor,

a) *pag. 17.*

 adeo

adeo multum ipſam metuendam haud habeo, vt a non paucis, etiam eruditis et exercitatis Viris, creditur. Hos inter eruditisſimus et experientiſſimus WERLHOFIVS a) non ſaltem per aegrotantium effluuia, ſed et per nuncios, per veſtes, imo forte per chartas, litterasque, de qua re ſat probabile exemplum habet, contagii huius velut etiam peſtilentis, propagationem fieri, clare ſatis obſeruari et doceri poſſe, contendit. Quin per canes ex vna domo in alteram tranſeuntes virus apportari poſſe, ſunt, qui exiſtimant. Nullus audeo reniti Viri ſummi, aliorumque grauium Medicorum obſeruationibus. Memini interim bene, ſine litteris, ſine nuncio, ſineque alia vlla mediata communicatione, Vratislauiae decubuiſſe ſororem morbillis, quibus ego medebar, cum eo ipſo die frater, 40 milliaribus ab ea remotus, iisdem laborare incepiſſet, quod menſe elapſo parentibus nunciari faciebat. An hoc in caſu ſubeſt συμπαθεια et ſimilis diatheſis familiae, alioquin a multis obſeruatoribus et de variolis notata, quam refert Vir acutiſſimus,

a) *de Variolis et anthracibus* p. 16.

mus, quam vero ſolam non vult admittere. Sane, ſi in diſſito loco graſſati ſunt morbilli, vt graſſabantur apud nos, laborare potuerunt ex contagio hic et illic, ſoror et frater; ſed eadem dies incipientium morborum, niſi caſui tantum tribuatur, ſaltem notabilis eſt. Quicquid ſit, in mea praxi per mediatam communicationem, et per internuncios, huc illuc translatas variolas vidiſſe, vix ac ne vix quidem recordor. Non oblitus ſum, Medicum olim apud nos celeberrimum, cultui externo corporis non adeo deditum, a nobiliſſimis et illuſtribus Familiis, quarum eo tempore bene multae Vratislauiae commorabantur, cum populares eſſent variolae, obligatum, imo vero pene iuramenti religione obſtrictum fuiſſe, vt quoties aegrum hoc morbo laborantem inuiſiſſet, antequam domum aliam adhuc ab eo liberam intraret, depoſita veſte aliam induerit, ne nempe panno adhaereſcens forte contagium ſecum afferret. Habebat Vir optimus non niſi veſtes tres, gryſeam, nigram, et brunam; ergo iteratis vicibus, vna vix exuta, alteram

et tertiam arripere debebat, et hanc mutationem repetere per diem aliquoties, aegre ferens tot ſibi impoſitas moleſtias, et ſubridens de aliis communicando contagio ſe ſuſpectum haberi, quod in ſe ipſum primo migrare deberet, cum variolis adhuc dum non laborauiſſet. Pulchre recordor, me ſat ſaepe domum reducem, ab vltima viſitatione aegrorum variolis laborantium, adeo ex vicinia mearum aedium, calentes manus meas, quibus ante pauca momenta pulſum aegrorum, durante ſuppuratione, exploraueram, non ablutas, obuiam incedentibus meis liberis permiſiſſe, quas tenerrimo affectu genis ſuis apprimerent, et exoſcularentur. Nunquam tamen inde contagii effectus perſenſi. Ex iunioribus, qui ſuperſunt, filia natu maior duos annos habens, variolis laborare incepit, ſine meo interuentu; nam in proprio conclaui detinebatur, et ob negotia mea per aliquot dies ipſam non videram, donec ad aegrotare iam incipientem accederem. Natu minor adhuc immunis, nec a me, cui libenter adeſt, toties inter aegros

eius-

eiusmodi verſato, nec a fratre, cum quo ex amore arctiſſimum et nimium fere commercium aluit, contagium hauſit. Hic curioſus, viſis infantibus varioloſis, aliquo terrore, quem deinde confitebatur, perculſus, morbum in ſe demum deriuauit, quem antea ex mea manu centenis vicibus accipere debuiſſet. Alius filius, iam ad ſedes beatorum euocatus, variolis peſſimis laborauit, a quibus tamen per Dei gratiam liberabatur, ſub initium epidemiae, antequam mihi oblatus eſſet alius aeger hac aegritudine affectus, cum alio tempore ipſi domum redux a talibus, facili negotio affricare contagium potuiſſem. Propria vxor grauida, morbum hunc ſaepe adeo miſerabilem nondum experta, me graſſantibus variolis quotidie ad aegros curſitantem tulit, per aliquot hebdomadas, ſine noxa, donec monitum meum negligens immediato contagio ſe exponeret, et me inſcio, ſororem ſuam, variolis benignioribus adfectam, inuiſiſſet, aeque mite fatum ſperans ſi inficeretur, ſed turpiter decepta, namque confluentiſſimas accipiebat,

 aeger-

aegerrime deinde eluctans. Haec mea me domeſtica experientia docuit, alienis confirmata; nolo tamen Viris eximiis, per ſuas obſeruationes alia edoctis, refragari. Quod lectos attinet, ſtragula, induſia, veſtes, et quae alia pure varioloſo infici poſſunt, ac immediate contagium corporibus inſinuare, facile concedo, ſi variolas nondum expertus, tali lecto et ſtragulis vteretur, ſi veſtem vel induſium, ab aegro varioloſo depoſitum, indueret, etiam aliquo tempore elapſo, quod infectioni locus eſſet. Sed caueri poſſunt eiusmodi immunditiae. Ad repurganda ſtragula, induſia, linteamina, lotricibus opus eſt, morbo iam certiſſime defunctis. His cautelis omnibus obſeruatis, ſine Vulcani ope omne aberit periculum, cum annoſa fila inoculatoria haud inficiant, niſi immediato contactu, cuti vulneratae applicata et diutius eo in loco detenta.

  

Aëris inquinamentis quoad infectionem plurima tribuenda cenſeo, dum naturales variolae graſſantur, aut factitiae magna

gna copia, mali moris effluuia de ſe ſpargunt. Tales venenati atomi, ſi cum inſpiratione pulmonem ingrediantur, et ſanguini calidiſſimo admiſceantur, aut deglutiti cum deſcendente ſaliua ventriculo applicentur, atque corpus diſpoſitum offendant, facile morbum poſſunt excludere. Longe vero maior eorum deleteria efficacia redditur, ſi variolis adhuc expoſitus homo, conclaue ingrediatur, in quo aeger aliquis decumbit, ſique propius ad eum acceſſerit, ſi ingratus nidor nares feriat, atque nauſeabunda auerſatio inde oriatur. Hac via immediata, plures infectos noui, qui hactenus per annos contagii energiam eluſerant, et in eorum catalogum mihi amatiſſimam BEVCHELIAM referendam habeo. Hiſtoriam contagii, ab inoculatione propagati, a Cl. WHITTE conſcriptam, nondum vidi, nec contagii Newburgenſis effectus noui; credo tamen Tibi libenter, VIR ACVTISSIME, ſtringentiſſima argumenta inde contra inoculationem exſurgere. At vocem publicam vniuerſae Galliae, non a male ſanae plebe-

plebeculae, et vulgi leuiter quandoque insanientis rumoribus, et clamoribus, quibus ceu rapidissimo torrenti aegerrime obex ponitur, primam suam originem traxisse praeoptarem. Nondum constat, an omnes Medici in inoculando exercitati, et alii Practici, an vniuersa Facultas medica, an omnes Doctores Sorbonici consentiant, vt repudietur inoculatio. Votis illius collectis, superiorum mandato satisfacturus Cel. *de* ROBERT, Medicus Parisiensis, iudicium de insitione exhibuit, (quod legitur in Iourn. encyclop.) huic mirum quantum fauens. Cum dein alius Medicus quaestionibus quibusdam eam noxiam declarauisset, iterum alius famam adeptus in medendo, illarum refutationem publicae luci exposuit, (legitur in Iourn. encycloped. 1763 Nov. p. 65.) quam WETSCHIVS, Viennensis Medicus, germanice versam solidissimam et eruditissimam esse pronunciat. Saltem hoc notabile videtur, eousque tamen nondum peruentum esse, vt inoculatione publicis legibus Parisiis prohibita, et pendente adhuc lite, an approbanda,

an

an reiicienda ſit, illa ſiſteretur et non in ipſa vrbe, et in agro Pariſienſi, et in aliis prouinciis Galliae, darentur perſonae numeroſae, adultiores, ex illuſtriſſima Proſapia oriundae, quae ſe operationi, cui plaudunt, ſubiicerent, multoque cum fructu, ſi relationibus publicis habenda fides eſt a). Surgunt inſuper indies paſſim noui defenſores, et Pariſiis adeo imprimuntur ſcripta apologetica, quae ſoli tumultuariae operationi infortunia inde nata adſcribunt, vt in antecedentibus iam moqui. Vt certa cauſae controuerſae deciſio obtineatur, curatiſſima et ab omni praeiudicio repurgata attentione praecipue et ante omnia opus eſſe credo, an continuo durante, et nunquam ceſſante, et extincto contagio ſuppoſito per inſitionem, durante decurſu 10. 12. 15. annorum, euidenter plures mortui ſint, quam naturaliter, maxime ſaeuientibus epidemiis duabus, tribus, quatuor, per hanc temporis intercapedinem. Praeſtat quippe, variolas perpetuo per contagium familiares eſſe, per ipſam inſitionem, et pauciores mori, quam plane ſilere interdum ad tempus vario-

a) *Vide in Nouellis Hamburgenſibus A. 1764. die 30. Maii articulum Pariſiis die 21. Maii conſcriptum, in quo magnus catalogus illuſtrium perſonarum habetur, quae ſibi variolas felici euentu inoculari fecerunt.*

las,

las, et rabiosis epidemiis certis periodis emergentibus, iterumque finitis, magnum hominum numerum tumulari. Sed historia contagii Whittiana noxas propagationis contagii exponit. Multorum vero Medicorum Londinensium obseruata in eo collineant, quod plures moriantur per epidemias, quam vigente inoculatione. Atque recentissimus scriptor, MVRRAY, Holmiensis a), necessitatem insitionis probare nititur ex quibusdam tristissimis epidemiis, quae interdum tertium et quartum aegrum vita priuarunt, tum et ex Necrologiis, quae, in Suecia quouis anno minimum 900 homines mori variolis, commonstrant. Egregie, inter alios, docuit Cel. HVXHAM b), certam constitutionem atmosphaerae, modo progressum variolarum epidemicarum promouere, modo impedire, alio tempore eas incipere in vno angulo cuiusdam ciuitatis, eamque inficere totam, alio tempore oriri in medietate, et tamen non longe proserpere, sed cito iterum desinere. Id si ita sese habeat, propagatio contagii non eidem ipsi, eiusque indoli, sed aëris

a) *Diss. iam laudata, quae variolarum insitionis fata in Suecia exponit.*

b) *de Variol. p. 30. edit. Germ.*

aëris constitutioni praecipue tribuenda videtur, tum et dispositioni corporum, in quam simul culpam coniicit laudatus HVXHAM. Non ergo nimis, quoad sui contagii in longum et latum disseminationem, vituperanda inoculatio, quae, si instituatur, aërem serenum et purum, et corpora saniora, aut praeparata, et emendata, supponit. Tandem etiam non simpliciter inoculationi adscribi potest, quod, ea iugiter adornata, contagium semper existere, et perdurare, et dispergi, faciat, si illustrem WERLHOFIVM audire voluerimus, vt audiri omnino meretur. Namque hic de naturalibus variolis ita statuit: *In nostris regionibus*, inquit a), *variolae nunquam amplius generatim cessant, vt non alicubi, modo in hoc loco, modo in alio, praesertim in magnis ciuitatibus, perpetuo haereant, et fauente statu epidemio, et singulorum corporum diathesi, accrescent, et denuo singulis in locis pusionum nondum antea affectorum numero, alibi rursum per commercia dispergantur.* Lecturorum iudicio relinquo, an cautela Celeb. KIRKPATRICK Sect. XI. p. 402. inocula-

a) *de Variolis et anthracibus* p. 16.

oculationem haud ſuſcipiendam, pusque adeo et eius effluuia, loco alicui vel regioni, non inferenda eſſe, vbi variolae nondum adſunt, inoculandosque praeparandos eſſe, in locis non infectis, et tum aliorſum transferendos; deinde an methodus, hodie in noſocomiis Anglicis obſeruari ſolita, et a Cel. SCHVLTZIO a) recenſita, damna praecauere queat, quae a contagio, per inoculationem propagando, aduerſarii eius metuunt, et vrgent. *Londini*, inquit, *inoculati poſt eruptionem ex domo, huic operationi deſtinata, deferuntur lectica, vel curru in noſocomium, vbi variolis naturalibus laborantes degunt, eum in finem, vt in Noſocomio inſitionis nullum enaſcatur contagium, quod demum tempore ſuppurationis excludi incipit.* Addam adhuc, quae alibi ſcripſit *Vir celeberrimus* b), dum contagii, per inoculationem diſſeminari viſi, mentionem iniicit: *Nullam obligationem video, vt vitam meam periculo exponam, quando proximus meus cautiones circa ſuae conſeruationem negligit. Sagax Medicus non inſeret variolas infanti, in domo quadam, in qua plures ſunt nondum*

a) *Part. II. p.* 131. 132.

b) *pag.* 180.

eas

eas experti, antequam hi aliorſum translati fuerint. Diſſeminatio contagii circumſpectione inhiberi poteſt, et inoculatione noxae a periculoſiſſimis epidemiis poſſunt praecaueri. Semper peioris indolis fuerunt variolae, in vrbe, aut regione quadam, quando diutius ſiluerunt; ſed earum ferocia impeditur, quando numerus, qui naturales adhuc expectant, minuitur. CANTWEL *noſocomio inocalutionis Londinenſi tribuit, quod ibi adeo familiares ſint variolae; ſed hoc ſuo aſſerto teſtatum facit, quod necrologia ab anno 1746. quo conditum eſt noſocomium, non viderit. Anno 1753 moriebantur Londini, et in confiniis, a naturalibus 774. et anno 1719, proximo ante introductam inoculationem, mortui ſunt 3229. Coeterum* CANTWEL *multa ignorat de noſocomio varioloſo. Aegri peculiares veſtes accipiunt, quibus vtuntur, quam diu in eodem commorantur, illaeque, quae ad ipſos pertinent, per inuentionem Hales, in ciſta ad hunc finem inuenta, fumo ſulphuris exponuntur.*



QVAESTIO IX.

Certine sumus fore, vt inoculatis, variolas nunc expectantibus, nec praecedat, nec accedat contagium naturalium. Sin minus, an a duplicata causa variolae non atrociores expectandae?

Haec quaestio mihi valde grauis videtur, et mereri valde, vt eius valor a patronis insitionis, si fieri queat, infringatur, ne huius gloria sensibile aliquod detrimentum patiatur. Id quidem non metuit eximius TISSOTVS a), namque: *non admitto*, inquit, *quod venenum naturale, iam susceptum ante inoculationem, possit morbum facere deteriorem. Paucula quantitas puris, maior vel minor, filum duarum linearum, vel duorum pollicum, quatuor incisiones, vel duae, nec magis nec minus faciunt ad generationem variolarum. Minus conuenienter praetextus hic de contagio, per duplicationem nocentiore reddito, excogitatus est, vt imprudentia coloraretur. Ego ab omni partium studio remotus sum.* Mitius paulisper sentit, quanquam fere eadem ipsi

a) *Lettre p. 64.*

ipſi mens ſit, Cel. KIRKPATRIK a), qui naturalis contagii acceſſionem, ad artificiale inſitum, ingenioſe ſuperfoetationem vocat. Is equidem probabile habet, cum parciſſimum pus inficiat, parcam alius contagii additionem, nec morbum augere, nec eius durationem magis diuturnam efficere, aegros poſt inoculationem a ſuſceptione noui contagii arcendos, et praecauendos eſſe, monens. Adeo interea aequus eſt, vt ſua cogitata nondum pro certis venditet, ſed, vlteriori inquiſitione et obſeruatione opus eſſe, dicit. Videntur et primo intuitu argumenta Tiſſotiana, et alia, non eſſe reiicienda. Ipſe ego ſaepius cogitaui, ſi inficiatur aliquis in conclaui, varioloſis exhalationibus repleto, forte perinde erit, neque vel mitiores, vel peiores obtinebit variolas, ſiue in eodem decubuerint aegri quatuor, vel vnus ſaltem. Attamen hoc ipſum nondum certo euictum eſt. Si infectus reportet variolas multas, et mali moris, et peioris forte indolis, quam erant quatuor decumbentium, valde probabile euadit, multiplicato et concentratiori

a) Sect. IX. p. 350. 351.

contagio hausto, eas ipsum in acceptis referendas habere; si benignioribus laboret, forte bonitatem suae idiosyncrasiae, quae vero non omnibus eadem est, laudare debebit. At vero viginti et vni personis variolas inseuit D. FREWIN, pure a confluentibus desumto, quibus laborantes aegri interierant, et tamen illae omnes benignissimas obtinuere, quin, pluribus pure demortuorum, inoculationem praestitit, sine vllis peioribus sequelis. En speciosum contra periculum, quod a duplici contagio metuitur, argumentum! Verum, temeraria ista facta recensens, Cel. KIRKPATRIK a), audacem hunc Medicum vocat, et licet, non prorsus de certitudine eorum et effectuum instructus, dubitare de fide Viri nolit, fatetur tamen, se vel ideam illorum horrere, et non facile pro suis aegris pus ab eodem petiturum esse. Dum euictissima veritas haud constat, non permittamus celeberrimis Inoculatoribus, vt inde aliquod praesidium ipsi insitioni enasci statuant. Si in totum perinde esset, siue paulo minor, siue paulo maior quantitas

a) *Sect. VI. p. 194.*

puris

puris corpus infectioni adhuc expositum intraret, cur hodie recepta inoculandi methodus praeferretur aliis methodis, paulo rudioribus, non dicam immissioni puris cum gossypio in nares, (nam tum cerebrum grauiter afficitur,) sed infrictioni eius fortiori in brachio vel pede; immissioni in leue vulnusculum sanguinolentum, per apicem acus inflictum; immissioni in fonticulos; transmissioni fili pure imbuti per cutem inter pollicem et indicem, acus ministerio; illitui puris in brachio; communicationi per chirothecas, intus hinc inde vnguento pomato, cui siccata variolarum materies admista, inunctas? Cur praestaret in vulnusculum, summam superficiem cutis saltem diuidens, immittere filum, quam in vulnus profundius, hians, cruentum, ad telam cellulosam penetrans, instillare guttulam puris, vel plures? Quando hoc omne non vnum idemque habetur, non poterit etiam vnum et idem esse, siue aliquis simplex, siue duplex contagium in se deriuet. Vt probet doctissimus *de la* CONDAMINE, si supponatur,

tur, variolas naturales bis recurrere, nondum tamen ſequi, hominem poſt inoculationem ipſis denuo expoſitum manere, aſſerere non dubitat, naturale contagium ſeminium morbi, in corpore latitans, non niſi imperfecte euoluere, ita vt ſufficiens fermentum ad nouum morbum excludendum adhuc reſtitet, cum e contrario multa cum probabilitate aſſeuerari queat, quod materia variolarum in corpore haerens, per venenum ſimilis naturae, beneficio quorundam vulnerum, recta via ſanguini communicatum, eousque actiua reddatur, vt plenarie, et in omnibus ſuis particulis, euoluatur, nullaque deinde materia ad ſecundam aliquam euolutionem amplius ſuperſit. Hoc ſuum aſſertum ſimili illuſtrat: Potentior cauſa, inquiens, maiorem effectum edere debet. Lac a naturali actione aëris, et caloris, non adeo certo corrumpetur, et adeo coagulabitur, quam ſi deliberato conſilio aliquid acidi cum eo commiſceatur a). Conuertam et ipſum hoc aſſertum, quod in antecedentibus iam adduxi, quodque huc non facere videtur, ſed ad quae-

a) *Part. II. ad Object. II.*

quaeſtionem II, et ſimile, iam in vſus, huc omnino facturos. Non minori zelo, quam Ill. *de la* CONDAMINE, ab inoculationis partibus ſtans, Cel. TISSOTVS a), cum aliis, hac in parte ab eo recedens, nullam prorſus diſtinctionem facit, intuitu actionis ſuae, inter virus naturalium, et artificialium. Et intereſt vere, vt ita ſtatuant clariſſimi Inoculatores; namque, ſi contagium ab inſitione ponatur fortius, magis energeticum, magisque omnem fomitem morbi, in corpore latentem, extricans, et actuoſum reddens, quam naturale, neſcio quomodo, ſtante hac hypotheſi, benigniores et pauciores variolae inde deduci queant, quam ſi via naturalis expectetur; neſcio, quomodo negari queat, ſi ad contagium naturale lenius acceſſerit artificiale fortius, morbum haud grauiorem futurum. Atque hoc ipſum per ſimile Condaminianum luculentum, et extra omnem controuerſiam collocari debet. Si enim naturalis actio aëris, contagio naturali impraegnati, leuiter corrupiſſet ſanguinem alicuius corporis, infectioni adhuc ſubiecti,

a) *Lettre p. 63.*

 addi-

additum de induſtria contagium artificiale fortius ſuppoſitum, cum eo intimius remixtum, illum tanto magis corrumpat, neceſſum eſt. Verum quia poſt ſuum ſimile omnes argumentationes, quibus aliae iterum opponi poſſent, ſeponendas vult Ill. *de la* CONDAMINE, et in materia, quam ediſſerit, ad experientiam, quamuis non omnino ipſi fauentem, prouocat, ſequar laudabile eius exemplum, in praeſente materia, quam ego diſputo. Si hac vice non placuero Illuſtriſſimo illi Viro, Tibi, PRAESTANTISSIME HAËNI, non diſplicebo. Tu non praeter rem mones, quaeſtione IX. in principio, hanc ſecuritatem, quam ſibi promittunt celeberrimi Viri, circa periculum duplicis contagii, quod obiter habent et nullum venditant, illām ſecuritatem, inquam, propria ſua experientia negauiſſe ipſum TIMONI. Cum enim narraſſet, Conſtantinopoli annum admodum epidemice varioloſum fuiſſe, quo inoculati grauius laborarent, et vehementiora ſymptomata paterentur, ſubiungere ipſum notas, ſuſpicari rationabiliter quemquam poſſe,

an

an non hi contagio naturali breui ante insitionem infecti fuissent. Deinde ad publica scripta, in quibus ipsi Inoculatores infortunia operationis huic causae adscripserint, prouocas. Sane inter hos propugnator eminentior, Ill. MEAD a), maximi momenti esse dicit, vt caueat Medicus, ne in corpus, iam contagione tactum, nouam contagionem transferat. Addit notanter: *Hoc enim factum noui, euentu funesto, oppressa nimium et succumbente duplici morbo natura, quae alterutrum forsan simplicem vincere potuisset.* Atque hoc non semel, sed saepe euenisse, fidis obseruationibus constat. Terminum, quando post factam inoculationem variolae erumpunt, Illustr. *de la* CONDAMINE b), cum aliis expertis, ponunt 7 vel octauum diem, decimum, ad summum vndecimum, et duodecimum cum aliis Cl. SCHVLTZIVS c). Id vero, ordinario euentu, ita sese habere, multoties et infinities obseruatum est ab Insitoribus, hac in re vnanimiter conspirantibus. Quando igitur variolae vel duodecimo, vel adhuc tardius post operationem sese

a) *pag. 69.*

b) *Part. I. p. 37.*

c) *Part. II. p. 128. 129.*

demum monſtrant, aut terminum ſeptimae diei praeuertunt, tunc non poſſunt eſſe effectus inſitionis, ſed debent pendere a contagio naturali, vel poſt inſtitutam operationem, vel iam ante eam, hauſto, tunc autem adeſt infectio duplex, a nemine, puto, neganda. Non vacat cumulum exemplorum proferre in medium, ſufficient nonnulla. Petam illa ab ipſo SCHVLTZIO a). Citat is Cl. HOFLY b), foeminam habentem, cui poſt inſitionem demum 14 die variolae erumpebant. Narrat inſuper, ſibi a Cel. ROSEN communicatum caſum infantis 8 annorum, in quo 13 die poſt inſitionem comparebant. Tandem puerum Eghamenſem 7 annorum memorat, qui 23 ab inoculatione die admodum malignis variolis corripiebatur, aegre ſeruatus. Dubium eſſe agnoſcit Vir egregius, annon, dum inoculationis effectus ſeſe ſero manifeſtauit, potius naturali contagio tribuendae ſint natae variolae. Si vero hoc ponatur, etiam duplex contagium imbibitum admittendum eſt, quod morbum potuit facere maligniorem, quam fuiſſet a ſim-

a) *Part. II. p. 128. 129.*

b) *Journ. de Medicine Tom. III. p. 282.*

ſimplici. Anne hic videtur fruſtrata inoculatio, de qua Quaeſtione IV. actum fuit, eiusque contagium non ſatis energeticum reliquiſſe intactum fomitem morboſum ab accedente naturali forte et valentiore, deinde euolutum, contra ſententiam *de la* CONDAMINE, qui prius fortius habet. Iam vero et terminum ſuum poſt inſtitutam inoculationem praeuertentes variolae conſiderandae ſunt. Ipſe *Timoni*, poſtquam, vt ex antecedentibus conſtitit, de grauioribus ſymptomatibus inoculatarum variolarum, ob naturalium tum familiarum peiorem indolem, verba feciſſet, ita pergit p. 5. *Inter 50 ſubiecta, iisdem fere diebus inſitionem paſſa, 4. nouimus, quibus et excluſio variolarum nimis cita fuit, et tubercula plura et ſymptomata grauiora fuere -- In his quatuor variolae ad confluentium naturam accedebant. Suſpicio fuit non ſine fundamento, communi variolarum contagio, haec paucis ante inſitionem diebus fuiſſe attacta.* Ita MAITLAND poſt inoculationem amiſit filium illuſtris Angli HILLSBOROVGH, qui tertia die poſt inciſionem iam

aegro-

aegrotabat, et 5 prodibant puſtulae, quae ab inoculatione pendere non poterant. Soror eius laborabat naturalibus, antequam illi variolae inocularentur; ergo ſine dubio iam infectus erat naturali contagio ante inſitionem, a duplici igitur debebat ſuccumbere a). *Osborne*, qui inoculationem in ſe, et vxore, expertus eſt, memorat, foeminam die 3 poſt operationem mortuam, quod vero illi tribui nequit, quia mors ab ea non niſi 10 die potuiſſet euenire, ſed naturali contagio ſeſe iungens artificiale, duplicata vi ipſam iugulauit b). Tandem apud toties a me laudatum SCHVLTZIVM c) plura exempla proſtant, variolas poſt inſitionem 1. 2. et ante 7 diem prorupiſſe, ex quibus omnibus patet, citiorem earum egreſſum debitum fuiſſe hauſto contagio naturali, duoque contagia certo concurriſſe. His omnibus autem ita ſe habentibus, et ſibi conſtante duorum contagiorum ſibi ſociatorum poſſibilitate, probabilitate, veritate, et noxarum inde orientium certitudine, incumbebat clariſſimis Inſitoribus docere modum, quo vnius ad alte-

a) *Iurin Account for the year 1725. p. 61.*

b) *Iurin Letter to D. Cotesworth p 20.*

c) *Part. II. p. 128. 129.*

alterum acceſſus praeuideri, et praeuerti queat. Imaginationem hic nonnullas praecautiones finxiſſe dicis, CELEBERRIME HAËNI! quas tamen obſeruatu impoſſibiles habes. Hoc docere euidenter toties fruſtratam ſpem et cautelam parentum, qua impedire conentur, ne ſui infantes variolas contrahant, ſimul mones. Multi, contagium naturale euitari poſſe, putant, ſi ſaltem inoculatio fiat variolis non populariter graſſantibus, atque tantum in principio, vel circa finem epidemiae; ſed dum adeſt ſiue incipiens, ſiue finiens, adeſt et naturale contagium, ſemper infectioni aptum. Verum ne quidem omnes in hoc momento conſentiunt. SCHVLTZIVS a) non vult dehortari ab inſitione, ſi vel variolarum morbus graſſetur, aut ſi familiam quandam illae infeſtent, exempla feliciter ſub his circumſtantiis peracta adducens, modo caute inſtituatur, et antea per ſufficientem decurſum temporis certior factus fuerit Medicus, inoculandum veneno naturalium nondum infectum eſſe. Sed hoc opus, hic labor eſt! Ego omnia curatis-

a) *Part. I. p. 41. 42. 43.*

 

ratiſſime penſitans, prorſus impoſſibile habeo, quam diligentiſſima attentione determinare, cum aliqua ſolida certitudine, nondum in corpore humano latitare naturale contagium, ſique hoc foret poſſibile, quis euictionem praeſtiturus eſt, quis audebit polliceri, poſt inoculationem id non illud ingreſſurum eſſe, maxime ſi occaſiones haud deſint? Duo ſigna dari, quae aduentum variolarum praenuncient, antequam hae oculis vſurpentur, affirmat Cel. TISSOTVS a): 1. quando aliquis aegrotare incipit graſſante morbo, 2. quando alias expoſitus infectioni, non tamen infectus fuit. Forſan iuuat, vt euitetur duplicatio contagii, ad haec duo momenta attentum fuiſſe. Verum ipſe ille Medicus, qui e Gallica lingua in vernaculam vertit *iuſtificatam* eius *inoculationem*, in nota adiecta affirmat: *Praeſagia certa variolarum imminentium, quando illae nondum in oculos incurrunt, inter Medicos nondum ſtabilita eſſe; probabile equidem reddi, quando aliquis eo tempore, quo variolae graſſantur, ſymptomatibus eruptionem praegredi ſolitis infeſtetur, ſi nondum*

a) *Inoculat. juſtif.* §. 7. p. 21.

dum iis laborauerit, *eum propediem ipſis laboraturum; ſed nil certi citius dari*, dicit, *quam maculis prorumpentibus*, *et in puſtulas ſeſe eleuantibus.* Sed adhuc euidentius reddi poteſt, vltra omnem artem humanam locatam eſſe ſcientiam firmam, naturalis contagii corpus nondum inhabitantis, neque quam proxime inhabitaturi, ſi attendatur ad ſequentia. Scilicet primis diebus, poſt inoculationis operationem, adeo bene ſeſe habet aeger, vt domo egredi poſſet, et omnibus ſuis muniis defungi, ſique neſcirem, ipſum ob inoculationem peractam futuris diebus aegrotaturum, non haberem pro aegro. Sexto vel 7 die demum lectum petere iubetur, quando febris ſeſe manifeſtat a). Iam, quod naturales variolas attinet, dolendum eſſe dicit Cl. BVRGES b), quod iam infecta perſona ad minimum per integram hebdomadem (tres adeo memorat *de* HAËN ex ſua et aliorum obſeruatione, *Refut. p. 96.*) inſtans periculum non ſentiat, cum potius, durante hoc tempore, omnia ſua negotia perficiat, quibus adfuturum tandem malum ſaepe

a) *vide de la Condamine Part. I. p. 37.*

b) *Cap. III.*

ſaepe grauius redditur. Ex his clarum euadit, latitare in corpore humano receptum contagium artificiale, et naturale, per aequam temporis intercapedinem, quaſi plane non adeſſet, ſi ſenſum aegri in vtroque caſu reſpicias. Quomodo igitur, dum, non niſi ex ſenſu aegri, et ex phaenomenorum, ipſi moleſtias creantium, relatione, imminentem morbum quemuis diiudico, colligere potero, apparenter ſanum, nil de quo conqueratur habentem, nihilominus infectum eſſe, aut non eſſe, vt inoculationem vel tum miſſam faciam, vel inſtituam. Soluat mihi aliquis ſagaciorum Inoculatorum hoc aenigma, Oedipo acutior. Primum ſignum infectionis, ſiue naturalis, ſiue artificialis, cui fidere licet, eſt febris. Artificiali ſi illa accedat, ſcio conuictus, operationem ſucceſſu haud carituram, ſed certo adfuturas variolas. Verum ſi aliquis variolarum adhuc candidatus, tempore quo familiares ſunt, corripiatur febre, ne quidem certo ſcio, ſed ſuſpicor ſaltem, ipſas forte ante fores eſſe Non raro febris alia prehendit hominem variolas non-

dum

dum perpeſſum tempore epidemiae, quam vere varioloſa, non raro etiam alia, quam varioloſa ſine variolis, quod toties obſeruaui. Quo magis igitur prouehor in conſideratione contagii naturalis, eo magis conuincor, ſummam incertitudinem ſubeſſe, an id clam iam dominetur in corpore, an minus, neque antea de hoc infecto certi aliquid conſtare, quam donec illud perſonatum hactenus, larua depoſita, ſeſe conſpiciendum praebeat, atque apertam ſuam edere incipiat tyrannidem. Ergo etiam hominem inoculandum nunquam a metu contagii duplicis tutum haberi declararique poſſe, a Medico peritiſſimo quouis, clariſſime apparet. Aeque furtiuo ingreſſu naturale ante inſitionem ſeſe corpori poteſt inſinuare, quam eadem iam peracta. Argo alioquin oculatior Medicus, hic coecutit.

QVAESTIO X.

An ſaltem inoculatio cuſtos tuta venuſtatis?

De paucitate variolarum in genere, et de paucitate earum quoad faciem in ſpe-

 cie

cie, quam praeſtet inoculatio, omnes eius patroni loquuntur. Hanc, oblectandis maribus mille gynaecea, Veneribus refertiſſima, elargiri, aſſerit Cel. TISSOT a), qui alibi b) infantibus non vltra 9. 10. 15. puſtulas in facie, ad ſummum 20. vel 40, raro plures enaſci, atque et in hoc caſu vix cicatrices remanere ſcribit, niſi foueolas quasdam hoc nomine inſignitas vellemus, longe magis ſuperficiales, quam quas ex naturalibus variolis, optimae poſt ſe relinquunt. Non aliter de paucitate exanthematum horum locutus Ill. *de la* CONDAMINE c), de inſititiis Geneuenſibus teſtatur, quod vix vni inter multos vultum veſtigiis ſuis notatum conciliauerint. Atque hanc experientiam in Anglia, vt et in Graecia, neque minus in Circaſſia, vbi inoculatio in ſolius venuſtatis conſeruationem adornata fuit, vix aliquam exceptionem pati contendit, niſi forte aegri ſcalpendo ſibi ipſis nocuerint, aut male fuerint praeparati. Hanc vero ita euictam habitam inoculationis praerogatiuam, Tu VIR EXCELLENTISSIME, in dubium nunc vocas, TOVRNE-

a) *Inoculat. juſtif.* §. 3.

b) §. 44.

c) *Parte I. circa finem.*

NE-

NEFORTIVM aliis teſtimoniis de venuſtate, inſitionis effectu, opponis, et contraria exempla miſere foedatorum ab hac operatione vultuum adfers, quae aegre in dubium vocari queunt. Si pro vniuerſali et infallibili ad pulchritudinem, nitoremque cutis, atque ductuum in facie elegantiam conſeruandam remedio, inſitio venditetur, id perperam fieri credo, maxime cum, quod Tu rerum vſu et obſeruatione comprobaſti, ipſam adeo confluentes variolae inſequi queant, a quibus formae dignitati quam maxime metuendum eſt. Verum eo tempore ſaltem, et fortaſſis frequentius, quando pauciores, et in facie potiſſimum puſtulas prouenire facit inoculatio, ad cutis decorem, et ad praecauendas turpes cicatrices, multum eam conferre poſſe, videtur. Sine reſpectu ad venuſtatem, ſaltem, vt in facie pauciores eueniant puſtulae, cum a multitudine earum ibidem progerminante, monitore SYDENHAMO, periculum totius morbi diiudicetur, ſuadent peritiſſimi et circumſpectiſſimi Medici, et inter eos BOERHAAVIVS a) et

a) *Aph. 1399.*

 HVX-

 

a) *de Variolis p. 21. 22. 25.*

HVXHAM a), balnea pedum repetita; horum fotum tepidum continuum; epiſpaſtica applicata ad caua pedum et poplitum; regimen partium ſuperiorum frigidiuſculum, interim corpore inferiore contra frigus munito; nullum alium in finem, quam vt potenti reuulſione impetum ſanguinis veneno imbuti a facie, et toto capite auertant, et ſuppurationem ibi, quantum poſſibile eſt, minorem praeſtent. Aut ergo omnia haec conamina fruſtranea ſunt, aut dari debet, vlcera per inſitionem in brachiis excitata, aeque, vel adhuc potentius reuellere materiem varioloſam a facie, maxime ſi ex voluntate Inoculatoris, iuſta copia pus fundant, adeoque multum ad venuſtatem facere. Reminiſcor dum haec ſcribo, me legiſſe apud BAGLIVVM b), guttas roſaceas, aliasque faciei morboſas rubedines, irritis aliis, cauterium cruribus affixum ſanare, teſte MERCVRIALI *de Decoratione cap. 13.*, idque ſibi pro magno ſecreto dediſſe Patauii doctiſſimum illius vrbis Medicum, BAGLIVVS recenſet. Quodſi igitur vlcera inde enata, iam deturpatae

b) *Operum p. 141.*

patae a puſtulis ſuppurantibus faciei decus ſuum reſtituant, cur non etiam varioloſas puſtulas nondum praeſentes potenter auerterent, mature et diu ſatis fluentia inſitionis vlcera, in ſuperioribus artubus excitata? Ita omnino credibile eſt. Interim tamen apud SCHVLTZIVM a) inuenio ancillam, quae poſt inoculationem circiter 150 puſtulas, ſed plurimas in facie habuit, atque apud KIRKPATRIK b) oculorum adeo vitia ab inoculatione relicta lego. Quamuis vero etiam, rara eſſe talia exempla ab inſitione, intuitu plurium eiusmodi ſequelarum, a naturalibus emergentium, pronunciet, ſufficit ea exiſtere, ſimiliaque porro poſſe accidere, et ab inoculatione certiſſimum ab eis praeſidium haud ſperari poſſe. Mea ſcilicet ſententia, arti nulli poteſtas relicta eſt, vel vnicum punctulum in facie, et omnibus eius partibus, ſecurum praeſtare, ne in eo naſcatur puſtula, conditione cur ea locum hunc vel occupet, vel non occupet, non ab arte, ſed a cutis fabrica, et vaſorum diſtributione, et ſanguine maiori minoriue impetu in haec vel illa

a) *Part. II. p. 135.*

b) *Sect. VI p. 203.*

proiecto, vnice pendente. Hoc cum ita ſeſe habeat, et certo ſupponi queat, facile capiuntur arcti artis limites, in conſeruanda venuſta faciei ſpecie, in curatione naturalium. Aſſeris, DILECTISSIME HAËNI, a bona methodo rariora deformitatis exempla proſtare. Iudicas ſecundum tuam hypotheſin, quae bonae methodo fere nimium tribuit. Bona methodus, niſi vis morbi peior fuerit, optimamque methodum eludat, quod non raro accidit, magnam habet vim efficiendi, vt pauciores generentur variolae, quam generaſſet peruerſa et calida methodus, (qua tamen etiam, licet rarius, ſi vis vitae langueat, opus eſt,) vtque pus ſit blandius et benignius, cum acria et calida ipſi conciliaſſent acriorem et rodentiorem indolem. Verum enim vero, ſi dicendum, quod res eſt, conſtitutio humorum aegri, ſiue laudabilior, ſiue illaudabilior, et ſtimuli varioloſi mitior deteriorue natura, plurimum ad numerum variolarum, et ad puris ingenium facit. Si vero optima fuerit illa, et hic benigniſſimus, tamen poſſibile eſt, vt

ex

ex 30 vel 40 variolis, vel paucioribus, vna naſcatur in cornea; ſi illa diatheſis morboſa peior, et hic ſtimulus admodum malignus, poſſibile eſt, vt naſcatur nulla. Toties eadem opera et circumſpectione vſus, tractaui confluentes variolas, ſaluis ab omni labe oculis, toties in diſcretis miratus ſum vnam puſtulam haerere in oculo, quae mille loca alia in facie libera habebat, in quibus ſedem ſuam figeret. Quaenam ars impediet, vt infantes variolis laboraturi, et interdum ſimul dentitione laborantes, non acerbe, nocte dieque plorent, et ipſi hac ratione affluxum materiae varioloſae ad oculos alliciant? Quod foueas et cicatrices atttinet, ſi a diſcretis non excludantur, non multas gratias aeger agendas habebit ſuo Medico, nam ſine Medico illae cutem parum, vel nihil, vitiant. Si variolae confluxerint, et rodentiſſimum pus continuerint, aegerque mortem effugerit, valedicendum erit faciei ſpecioſius efformatae veneribus, atque cordis venuſtati tanto maior opera erit danda; namque nec aliquis SYDENHAMVS aut BOERHAAVIVS

cicatricum turpitudinem auertet. Ab incisione puſtularum maturarum, vt a bona methodo reliqua, lineamentorum in vultu gratiae, cutisue nitori, multum promittis, VIR EGREGIE, nec vt videtur abs re, cum euocatum e puſtulis, et deterſum leniter pus, exedere cutem amplius nequeat. Omnes in toto corpore iteratis vicibus pertundendas vis a), alio fine, vt nempe febrem ſecundam mitiorem reddas. Auſus ſum, alia occaſione, difficultates meas contra hoc conſilium exponere b), quod facilius omnino executu euadit, ſi in formae conſeruationem ſaltem in vultu pertuſio inſtituatur, ſed periculum faciens plus ſimplici vice, aut aegrorum conſenſum, ob toties repetendam operam, aut ſperatum effectum non obtinui. Qui pro exitu puri pertuſione lanceolae ope praeſtando, et reſorptione eius ita inhibenda, ad febrem mitigandam, militat HVXHAM c), ſi venuſtatis ſtudium reſpiciatur, quomodocunque apertio inſtituatur, turpem magis et deformem cicatricem inde obortu-ram, aſſerit, quam ſi negotium naturae relictum

a) *Rat. med. II. cap. de variolis.*

b) *de methodo medendi variolis optima ſaepe inſufficiente p. 108. ſeq.*

c) *pag. 41.*

ctum fuiſſet; adeoque de hac re perſuaſus eſt, vt hinc cicatrices, a pertuſione vere timendas, negligendas eſſe, inculcet, et periculum ponderandum, quod a neglectu eius, et ſanie corroſiua in ambitu corporis agere pergente, et abſorpta in humorum Oceanum, in aegrum redundaret. V. Snes poſt curatum morbum, ad mala, variolis ſupervenire ſolita, praeſcindenda et expugnanda, pro ſubiectorum circumſtantiarumque omnium varietate, egregias et efficaces Tecum ſtatuo; ad iuuamen aliquod, formae honeſtati praeſtandum, vereor, ne nimis ſera ſit illarum adhibitio. Nam quando ad exſiccationem iam peruenerunt variolae, iam actum eſt de faciei decoribus, vnicum auxilium, vt deturpatio non deterior euadat, in blanda cruſtarum emollitione, quo mature remoueri queant, vel et aliquando, ſi denſiores ſint, earum inciſione eſt repoſitum.

  

Iam dum abſoluta quaeſtionum tuarum conſideratione, porro Te praeeuntem exacte

ſequor, patiaris oro, VIR ILLVSTRISSIME, vt infandum dolorem Tibi ad tempus renouem, atque SACRATISSIMAE inter coelites REGINAE, quae Romanorum in terris, applaudente omni Europa, futura erat, reminiſcar. Probabis, credo, meum affectum, quando, licet alii ſceptro ſubiectus, quod omnino veneror et ſuſpicio, vt Chriſtianus, vt Philoſophus, vt bonus ciuis, nihilominus ſumma reuerentia erga GLORIOSISSIMAM DOMVM AVSTRIACAM ductus, ſub cuius fouentibus alis ſtudiorum meorum fundamenta ieci, et praxin meam auſpicatus ſum, eius irreparabilem iacturam in corde meo perſenſi, et deploraui, et meam propriam, viuide mihi repraeſentatam, gemens iterum iterumque reuocaui in memoriam. En luctui meo, qui mihi cum luctu vtriusque orbis communis fuit, adhuc accedentem cauſam ſingularem! Condonabis igitur ſincero homini inane votum, exſtitiſſet in rerum natura methodus, quae TANTAE PRINCIPI, GENERIS HVMANI DELICIIS, pretioſiſſimam vitam, olim vel nunc, a deplo-

plorabili interitu vindicasset. Atque vtinam desperato morbo a summis Medicis inuenta aliqua possibilis therapia, omnem inoculationem superuacaneam esse, docuisset. Scripsi tamen non sine ratione, praecipue Clariss. TISSOTVM, et alios insitionis amicos, ex hoc tragico casu argumenta contra Te formaturos. Eminentissimum pariter ac tristissimum in Saxonia funus, cum typis exprimendam meam epistolam Lipsiam mitterem, dum nobis Vratislauiensibus duae saltem officinae typographicae sunt, (aliis laboribus plerumque destinatae, quam litterariis,) nondum mihi innotuerat. Te nec similia viginti, nec plura, si afforent, motura scribis, vt de instituenda inoculatione cogitares. Sed ecce! legi haud ita pridem in relationibus publicis, Clariss. THEMIANI, Budissensem Practicum, qui adulto vere superioris anni, liberis Electoralibus variolas feliciter inseuit, Archiatri eorum, et Consiliarii aulici honorifico munere fuisse condecoratum. Nonne valde credibile est, Serenissimam matrem, viduam, id praemium

um ipſi nunc demum contuliſſe, quod lugens in ea opinione verſetur, aeternum deſiderandum regium Principem et Electorem maritum, inſtituta olim inoculatione, futurum adhuc inter viuos, futurum Saxonum verum parentem, et forte potentiſſimum Polonorum regem. Frequens illa, et ab omni omnium morborum et variolarum aeuo communis obſeruatio, quod

pallida mors aequo pulſet pede pauperum tabernas
Regumque turres,

vix moerori medetur. Mea ſententia, ſaepe, niſi valde fallor, miſeris eſt, non niſi

Solamen miſerum, ſocios habuiſſe malorum.

Vnicum, quod et GLORIOSISSIMAE DOMVI AVSTRIACAE, et SERENISSIMAE SAXONICAE ex animaduerſionibus Tuis ſolidum enaſci poteſt triſtitiae leuamen, poſt illud immenſum, quod ſancta religio ſuppeditat, hoc eſt: *Non omnino, et certo tutam eſſe inſitionem, atque et ab hac mortem eſſe poſſibilem.* Sic iuſtiſſimis lacrymis iuſtus modus ponitur.

Clare

  

Clare ſic opinor, animaduertis, VENERANDE HAËNI, me Tuis quaeſtionibus X. non exiguum pretium ſtatuere, licet in nonnullis Tuam reſponſionem vel paululum emollire allaborauerim, vel fere, aut plane ab eadem receſſerim. Conſentio Tecum, dari variolas naturales ſecundas; naturalesque poſt inſitiuas; ab inſitione fruſtra inſtituta inſequi quandoque mala, non expectata; fruſtra inſtitutam non certam ſecuritatem praeſtare, naturales nunquam adfuturas; inoculatas non ſemper arcere febrem ſecundam, dum copioſae, et confluentes eſſe poſſunt; quosdam ab inſitione mori, eam etiam incommoda poſt ſe relinquere; inoculatas, niſi ſolertiſſime proſpiciatur, contagium poſſe propagare; duplexque contagium poſſe concurrere et periculoſius eſſe ſimplici; venuſtatique tandem inſitionem non certo proſpicere. Atque ſic confido, Te candorem meum, et aequitatem, laudaturum. Firmiter quoque mihi perſuadeo, ex celeberrimis Inſitoribus illos, qui ſine

prae-



praeiudicio, et ſine nimis in ſuam adamatam operationem affectu, ipſa facta, ipſos rerum euentus, conſiderare voluerint, veritati non reluctaturos, ſed Tibi id daturos, quod Tibi dari debet. Plura acturus ſum, non vt gratiam Tuam ineam, ſed vt veritati litem ea, quae ex accuratiſſima et aequiſſima penſitatione tuarum quaeſtionum ſponte fluunt, palam candidus eloquar. Eas ſi legerint Inſitores cordati, fidem iis denegare nequeuntes, quae paſſim munita validis teſtimoniis adſers, regerent, quod facile praeuideo, omnes illos euentus aduerſos, et inſitioni minus fauentes, quos ad ſingulas quaeſtiones recenſes, eſſe minimum admodum raros, ſi cum multitudine fauſtorum et exoptatiſſimorum comparentur, qui ex hac operatione, vnanimi praeſtantiſſimorum Virorum conſenſu, et conſpirantibus innumeris obſeruationibus, reſultant. Sint igitur, ne et his deſim, candore et aequitate iuſtis, variolae naturales primae et ſecundae, naturalesque poſt inſititias rariores; ſint mala varia poſt fruſtraneam inſitionem rariora; ſint

natu-

naturales variolae poſt eam fruſtra inſtitutam rariores; ſint confluentes ab inſitione rariores; ſint mortes ab ea rariores; etc. etc. Verum omnes illae et ſingulae decem raritates, de quibus hic ordine, ſecundum quaeſtiones agitur, non ſunt ſimplices, ſed obuenere pluribus vicibus, et pluries ſine dubio euenient in poſterum. Quodſi ergo illae ſibi inuicem addantur, non amplius manent raritates, ſed productum abit in frequentiam variarum ſequelarum inſitionis, minus omnino fauſtarum, quae nec Inoculator, nec inoculatus expectauiſſet, atque quae hactenus ab amicis huius artis aut praeteruiſae videntur, aut non expenſae, vt decebat. Largior lubens, frequentiam odioſorum euentuum inſitionis, frequentiae exoptatorum multo inferiorem eſſe; at nihilominus prior illa frequentia non parum derogat gloriae inſitionis, efficitque, vt, niſi doceatur, quomodo illi ſiniſtri euentus certo euitari et praepediri queant, ſine omni dubitatione ac haeſitatione homo, harum rerum omnium gnarus, Inoculatori brachia ſua porrigere,

et

et permittere in posterum nequeat. Sagacissimae quippe scientiae et experientiae hactenus relictum non fuit, infortunia, licet infrequentia habita, praeuidere, et auertere.

* * *

Dum his omnibus non obstantibus adhuc considentem in solio suo, siue id vacillet, siue minus, victrice insitionem video, atque et Angliae, et Sueciae, aliisque regionibus, ciuitatibusque earum in orbe maximis imperitare, totque hominum millia sceptro suo subiicere animaduerto, doleo valde, quod Silesiae meae, vt vastissimae eius ditioni sine vlteriori mora accedat, ex labore meo, hucusque deducto, nulla sufficiens persuasio enasci queat. Dabunt mihi interim omnes huius operationis asseclae, quod non spontaneo ausu examen aliquod instituerim, sitne auctoritas insitionis porro agnoscenda, vel minus; sed quod prouocatus prodierim in publicum, inuitatus ad quaesita responderim, praxique omni destitutus, ad hoc negotium accedere debuerim, ignorans forte

quae-

quaedam, et ceſpitans in nonnullis, quae ipſo exercitio clariora et certiora euadunt. Haeſito ea propter, mea forte culpa, neque bene capio, qui fiat, vt celeberrimi Inſitores de artificialium variolarum conditione, quae valde tolerabilis plerumque deſcribitur, minus inter ſe conueniant. Adeo mitem plerumque hunc morbum, ab inſitione genitum, eſſe, monet MEAD a), vt vix aliquam Medici opem deſideret. Febrem 6 vel 7 die ſeſe manifeſtantem raro moleſtis ſymptomatibus ſtipari, ſcribit Ill. *de la* CONDAMINE b). Pro valde leui incommodo habendam eſſe inoculationem, ſi commoda inde obtinenda ſpectentur, aſſerit Cl. TISSOTVS c). Et Hercle, inquit, quale hoc infortunium! quando inter mille inoculatos, vel, ſi mauis, inter centum, vnus ſeſe non in totum bene habeat, id eſt, quando per 14 dies in apto conclaui tempus terere, et per 6 vel 7 horas febriculam, omnibus dolorificis ſymptomatibus vacuam, ſuſtinere cogatur, quam in tolerabili dolore ſub axillis, in aliqua grauitate capitis, oculorum humiditate, rubore, et ali-

a) *Cap. V. circa finem.*

b) *Part. I. p. 37.*

c) *Inoculat. juſtif. §. 67.*

aliquali turgore vultus, haemorrhagia narium, caloreque et frigore reciprocis, consistere, antea monuerat a). Alio deinde loco b), de 50 inoculationibus loquitur, et sancte testatur, quod, si aegros post praeparationem et insertionem reliquisset, soli famulae ipsis inseruire iussae, seruata praescripta diaeta, nullum ipsis incommodum natum fuisset, cum nullo alio remedio per totum morbi decursum, quam interdum clysmate, opus fuerit. Quinquaginta aegros inoculatos hic nominat Ill. TISSOTVS, sed inter 20 vix vnum auxilio indigere Clariss. SCHVLTZIVS c) auctor est. Verum enim vero non omnes Insitores adeo secundas, et ridentes fortunas depingunt, quin, si alios audiamus, statim conuincemur, sua non raro incommoda habere inoculationem, et multam operam requiri, vt symptomata emergentia oppugnentur. Celeb. BVRGES d) septimo ab operatione die sensibilem accedere horrorem cum tremoribus, dolorem artuum et dorsi, grauitatem et dolorem capitis, cum nausea et vomituritione, in pu-

a) §. 43.

b) Lettre p. 34.

c) Part. II. p. 132.

d) Cap. VIII.

ſionibus ſomnolentiam, inertiam, motus conuulſiuos oris, in ipſam Epilepſiam aſſurgentes, ſine addita reſtrictione ad quaedam ſaltem ſubiecta, recenſet. Haec certe incommoda, illis, quae naturales variolas antecedunt, benigniora haberi vix poterunt, atque impoſſibile pene eſt, vt celeberrimi Inſitores ea non obſeruauerint. Sane Ill. MEAD, poſtquam inſitionem vix Medici ope indigam declarauit, immediate tamen ſubiungere cogitur: *Sin autem ſecus acciderit, quod nonnunquam fit, eaedem curationes, quas in ſingulis variolarum generibus propoſui, neceſſariae inuenientur.* Paulo etiam aliter ſonant, quae, poſt modo adducta, aliquot paginis interiectis, habet Cel. TISSOT a), ſi inter ſe conferantur. Scilicet cum antea a variolis inſititiis 50 aegrorum, ob placidum earum decurſum, ſe Medicum pene abeſſe potuiſſe, enarrauiſſet, nunc ſuſpicionem, ac ſi methodum inoculatoriam facilem haberet, a ſe amoueri cupit, nihil minus verum eſſe, quam hoc teſtatus, ſed directionem boni Medici illam ſupponere, ſine eo autem ha-

a) *Lettre p. 50.*

bere ſua pericula, concedit, vt omnes morbos, ſi tractentur ab hominibus, qui medico ſtudio operam non dederint, et obſeruationibus neceſſariis haud inſtructi ſint. Quid autem hoc omne ſibi vult? Nil aliud, opinor, quam pathemata nonnunquam accedere inoculationi, quae, vt auertantur, peritiam et praeſentiam artificis omnino flagitant, vt in naturalibus variolis, quae alioquin etiam ſaepe ſaepius ſine Medico ſanantur. Non errauerim, ſi dixerim, interdum flagitare inoculationem hanc peritiam adhuc maiorem, quin et acceſſum boni Chirurgi. Multa obſeruanda eſſe, quoad inſitionis vulnera, docet Cl. BVRGES a), quae interdum aquoſo pure vicina loca exedunt, et inflammant, ad cubitum vsque; quae ſaepe diu fluentia manent; quae totius brachii, ob materiae acrimoniam, inflammationem poſt ſe trahunt, atque cum exacta diaeta fomentationes, V.Snes, purgationes requirunt; quae, nimia quantitate fluentia, piſo immiſſo debent inſtrui, vt fonticuli, atque diaphoreticis, abſorbentibus, decoctis lignorum, lacte aſinino tra-

a) Cap. XIII.

tractari; quae morbo iam ſuperato maculas rubras, cum calore et pruritu, in brachiis, cruribus, pectore, dorſo, poſt ſe relinquunt, idoneis dein remediis tollendas. Sane his artibus omnibus variolae naturales non indigent, neque hae vlcus inſitionis gangraenoſum ſibi coniunctum habere poſſunt, quod a Medicis doctis praeſentibus, ſine dubio commodis pharmacis exceptum, filium Comitis S. cuius quaeſtione VI. lugubris mentio fuit iniecta, nihilominus neci tradidit. Neque alia incommoda grauiora tacet BVRGES a), quae inſitionem interdum ſequuntur, ſed ea vltro recenſet, et quomodo ipſis medendum ſit, docet. Vrgentiori grauitati capitis, reſpirationi difficili, doloribus grauioribus, aeſtui totius corporis, V.Sne ſuccurrendum, ſuadet, et praeterea remedia pro grauioribus conuulſionibus apud infantes ſuppeditat. Fuſius multo Cel. KIRKPATRIK b) optimam praeparationem, ipſamque inſitionem, nec internam morbi cauſam actiuitate ſua priuare, nec firmarum partium, ac praecipue ſyſtematis neruoſi fabricam, eiusque mobi-

a) *Cap. IX.*

b) *Sect. X.*

mobilitatem et ſenſibilitatem immutare, nec ideo gradus ſymptomatum moderari poſſe teſtatus, haec prolixo catalogo enarrat, quanquam dum a confluentibus operationem praemunire aſſerit (quod eheu non perpetuum), hoc reſpectu, mitiora illa, eius beneficio, euadere, contendat. Ita ſummos illos lumborum dolores, qui confluentes praeſagiunt, ſe nunquam apud inoculatos aegros obſeruaſſe, memorat, a quibus ſaltem querelas de doloribus leuioribus et vagis audiuerit. An vero reliqua ſymptomata omnia leuiora, et ſemper? videamus paucis. Obſeruauit idem KIRKPATRIK, poſt inſitionem febrem acutiſſimam, vertiginem, et temulentiam in propria filia, ſomnolentiam, nauſeam vomitionemque apud infantes; inflammationem quaſi eryſipelaceam per totum corpus, cum pulſu febrili, quamuis innocuam; haemorrhagias narium cum dolore capitis; phrenitidem a delirio diſtinguendam, licet rarius, cum ſummis doloribus capitis, inflammationemque oculorum apud adultos; conuulſiones vehemen-

tes

tes cum febre et doloribus, ſequente magna copia variolarum diſcretarum, in proprio filio. Haec omnia, a celeberrimo quodam Inſitore candide recenſita, nonne faciunt credere, quandoque nullum diſcrimen dari inter ſymptomata, inoculatas et naturales variolas praecedentia et concomitantia, quandoque haec illis grauiora eſſe, quam his a)? Qui adhuc dubitat, legat, precor, attentus magnum fautorem Inſitionis, SCHVLTZIVM b), et animaduertet, ſymptomatum moleſtias, ſiue arte, ſiue natura proruperint puſtulae, parum certe inter ſe differre; nam et ſaepiſſime incommoda apud naturales diſcretas ſunt admodum mitia. Sane SCHVLTZIVS, ſine multa limitatione et exceptione apud inoculatas, recenſet ſtuporem, torporem, aliquam delirii ſpeciem, ebrietati haud abſimilem, ruborem faciei, cephalalgiam, nauſeam, vomitum, conuulſiones ad ſuppurationem vsque interdum perdurantes. Nil differentiae hic apparet inter vtrasque. Atque quod maximum eſt, apud eundem Auctorem mirum ſignum inuenio, variolas inſi-

a) *vide Act. Haarl. Tom. V. caſum, a Cel. van Ghert notatum.*

b) *Part. I. Sect. V.*

 titias

titias ante fores esse a). *Quando aegri vociferantur, et inquieti sunt, ex insolito tumultu famulitium nosocomii inoculationis, quod Londini est, concludit, instare variolas.* Mitem morbum esse variolas insititias, mihi cum aliis persuaserat Ill. MEAD, vociferationes et insolitos tumultus ab eo non expectauissem; adeo bachabundos homines a naturalibus vix vidi, licet vis febris maior, aliquando delirium leuius, grauiusue, adducat.

a) *Part. II. p. 119. in notis.*

  

Vt vero per proprias celeberrimorum Insitorum relationes, methodum eorum nec constanter facilem et mitem habere possum, ita et adeo late sese extendere felicem eius administrationem, vt communiter reputatur, non bene possum concipere, si nempe praecepta omnia, quae tradita lego ab artificibus, haud negligantur. Quin, quo exactius ea obseruentur, eo magis arctioribus certe limitibus circumscribi inoculandi licentiam, persuadeor. Vixque insuper, ac ne vix quidem, omnibus regulis et cautelis, quae suppe-

ditan-

ditantur, cum admodum numerosae sint, antea satisfactum esse, quam ad ipsam operationem accedere debebamus, certo conuinci poterimus. Magnus certe numerus est hominum, qui per leges, ab ipsis praestantissimis Inoculatoribus sancitas, abstinere debent a methodo, alias ab iis adeo magni facta, et forte ille maior adhuc stabiliendus est. Cum aliis, Collegis suis, celeberrimus SCHVLTZIVS a) excipit infantes ad 4 vel 5. annum; securissimam dein periodum vitae pro inoculatione ponit, inter annum 5 ad 12. Ab anno 14 vsque ad 17 insecuriorem habet, a 17 vsque ad 25 iterum securiorem, post 25 denuo minus securam. En! varios aetatis humanae annos, in quos inoculationis beneficium non cadit, et reliquos, cui competere dicitur, multoties eximi debere, per causas alias, breui videbimus. Scilicet praesentiam sanitatis plenariae, et absentiam morborum aliorum supponunt insitionis encomiastae, vt bonis auibus ipsa suscipiatur. An autem adeo magna copia mortalium, quae a vitae primordiis, ad eius ter-

a) *Part. I. p. 17. 18. 19.*



minum vſque, tranſgreſſae legis diuinae reatum, eiusque ſequelas intus ita non ſentiat, vt quiſque ſuos patiatur manes? Nonne per effatum diui Senis ὅλος ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νȣ̃σος ἐςιν a)? an vnica horula certi ſumus, aegritudinem impraeuiſam haud ante fores eſſe? quot adeo florentibus annis obſeruamus valetudinarios! Verum miſſos hos faciam, ne quidem athletice valentes temere ſubiici poſſe inſitioni, monuit BVRGES b), cum, praeeunte artis Parente, ſummam ſanitatem maximum minari periculum, ſtatuat, quare et KIRKPATRIK c), plethoricis et ſucci plenis corporibus, et ad inflammationes diſpoſitis TISSOT d), non ſuadendam eſſe hanc operationem aſſeruit. Obſeruatum quoque eſſe, ſcribit SCHVLTZIVS e), quod homines temperamento calido, nigris oculis et capillis, denſa et bruna cute, multas et interdum periculoſas variolas expectandas habeant, maxime ſi potus inebriantes, aromata, victum animalem, antea amauerint, et corpus nimio motu exercuerint. En! ſi his conſiderationibus omnibus

a) *in Epiſt. ad Damagetum Tom. II. p. 925. Edit. Lond.*

b) *Cap. VI. p. 25.*

c) *Sect. IX. p. 392.*

d) *§. 69.*

e) *Sect. I. init.*

bus adhuc iungamus anni tempora, aërisque conditiones, calorem magnum, frigus magnum, quibus insitio omittenda inculcatur a), multas sane contraindicationes, eius administrationi obicem ponentes! Atque haec de sanitate eidem repugnante; iam videamus morbos, actu praesentes, aut imminentes, qui frequentiori exercitio remoram iniiciunt, et a pusionibus ordiamur. Syntaxin neruosam eorum valde mollem, et irritabilem, qua fit, vt torminibus ventris, a caseoso lacte toties vexentur, atque eapropter, tum et ob dentitionem dolorosam, facile conuulsionibus afficiantur, prorsus vetare insitionem, omnes eius amici vnanimiter afferunt, quare primos quatuor vitae annos sine ea transactos volunt b). *Vermes* deinde repugnare inoculationi, vno ore monent omnes. KIRKPATRIK c) neminem auctorem futurum ait, vt ea instituatur praesente febre verminosa, aut aliis pathematibus, a vermibus suam originem habentibus, atque his etiam absentibus tamen consultum esse, profitetur, vt pueris 4 annum egressis, dentur

a) *Tissot Inoculat. iustif. §. 29.*

b) *Tissot §. 25. Inocul. iust. Schultze Part. I. p. 15. 16. Kirkpatr. Sect. IX. p. 321. Burges c. 6.*

c) *Sect. IX. p. 321. seq.*



tur anthelmintica, quae fuſe ſuppeditat, antequam de inſitione cogitatur. Non aliter SCHVLTZIVS a), prudentiam requirere, ait, vt accuratius antea indagetur, an inoculandus aliqua ſigna vermium exhibeat. Si hoc ita ſe habeat, ante inſitionem eos necandos eſſe, et euerrendos praecipit. Imo vero conſultum eſſe dicit, vt, dum de ea inſtituenda cogitatur, ſemper apud infantes anthelmintica praemittantur. Tu, PRACTICOTATE HAËNI! dum vermium et praeparationis per remedia iis aduerſa, mentionem facis b), conſcientiam dictitare dicis, vt vel hoc reſpectu negligatur inſitio; namqae centum homines laborare poſſe vermibus, ipſis, et Medicis ipſorum hoc neſcientibus, donec prodeant, neminemque Practicorum ignorare mones, quantae difficultates ſaepe adſint, quae impediant, quo minus inſectorum horum vitioſa progenies, ex voto, in integrum, et breui tempore extinguatur. Reminiſcamur hac occaſione, Cel. SCHVLTZIVM feliciſſimam pro inoculatione periodum ponere ab anno 5 vsque ad 12, atque perpendamus, HOFF-

a) *Part. I. p. 21.*

b) *Refutat. p. 92. 93.*

MAN-

MANNVM a) vermium imperium in corpus humanum, quamuis nulla aetas libera sit ab his hoſpitibus, metiri ab ablactatione ad annum decimum quartum. Quodſi nunc nunquam certi eſſe poſſimus, adeſſe vel abeſſe talia animalcula, quodſi, vbi adfuerint, ignoremus, an arte noſtra vere omnia ſint necata et expulſa, quodſi tandem inoculatio poſſit fieri periculoſa, ſi vermes complicentur, clarum redditur, felicitatem et ſecuritatem illius periodi, a Cl. SCHVLTZIO aſſignati, hac medicinali ignorantia valde limitari, atque minui. Coeterum etiam hoc ſilentio haud praeteriri debet, quod, quae inter praecipua anthelmintica referenda ſunt, pharmaca mercurialia, conſentientibus amicis et inimicis inſitionis, variolas mali moris poſt ſe trahere ſoleant, ea propter illa, malo conſilio adhibita, etiam necatis vermibus, noxas edere facile poſſent. Sequitur *Rhachitis;* hac affectis non facile permittendum dicit SCHVLTZIVS b), vt inſitionis aleam ſubeant. Sed non exiguus eſt illorum numerus noſtro aeuo, quo omnia illa vitia parentum, quae re-

a) *Med. ſyſt. Suppl. c. 10. ſ. 2.*

b) *Part. I. p. 25.*



recenſet, quibusque multum tribuit BOERHAAVIVS a), indies augentur. Neque morbus hic, cuius medelae diaetae neglectus toties obſtat, ſui durationem a nono menſe ad 4 aetatis annum abſoluit, quo vitae tempore decurrente ab inſitione abſtinetur. Verum *Heiſtero* teſte b), quando infantes ante annum quintum ab hoc morbo non liberantur, et viuere pergunt, per totum vitae ſpatium ſunt deformes, debiles, parui, valetudinarii, taleſque viuentes plures, vt in *Schidiis Cyrtonoſi* Cel. HAHNII Parentis, atque in *Tabulis aliquot antiquis Cyrtonoſi, quae Gliſſonio Rhachitis eſt*, filii, depictos, vbique inuenire eſt.

a) Aph. 1482.

b) Diſſ. de rhachitide §. 39.

Venio iam ad morbos, interdum quidem pueros, ſed praecipue tamen adultos affligentes, quos inſitionis fauſtis ſucceſſubus contrariari, ipſi eius Fautores palam profitentur. Conſignabo breuem potiorum catalogum. *Febres inflammatoriae et putridae, omnesque morbi epidemice graſſantes* (Tiſſot §. 27. 28. inocul. iuſtif. Huxham p. 11. Schultze Part. I. p. 43.), *febres lentae* (Tiſſot

ſot §. 27.), *aſthma*, *phthiſis*, *hectica* (Schultze I. p. 27. Burges p. 25.), *vlcera interna* (Tiſſot §. 27), *obſtructiones et indurationes glandularum Scrophulae* (Schultze I. p. 24. Burges p. 25) *obſtructiones viſcerum a febribus intermittentibus reſiduae* (Schultze I. p. 32), *Scorbutus*, (Tiſſot §. 27. Schultze Part. I. p. 27.), *Scabies*, et aliae impuritates cutaneae, achores, tinea, lepra, vari, exceptis ſuperatis morbillis, modo pectus ſit liberum (Tiſſot §. 27. Burges p. 25. Schultze I. p. 25), *Furunculi* inſtantes vel praeſentes (Tiſſot §. 37), *Coryza praeſens* (Tiſſot §. 37), ſed ab hac vere, autumno, hyeme, nemo tutus, etiam in conclaui ſuo degens. *Dolor quiuis* (Tiſſot §. 37.), *menſium ſuppreſſio*, *menſes irregulares*, nam duobus diebus poſtquam fluere deſierunt, inoculationem ſuſcipiendam ſuadent Tiſſot §. 30. et Kirkpatrik Sect. IX. p. 346. ne illi accedant, et turbas dent. Verum has et haec cautela non certo poteſt auertere. *Chloroſis*, *Cachexia*, *Icterus*, Schultze I. p. 26. *Fluor albus*, Schultze I. p. 27. ſed hic morbus

bus multas ſane foemellas ad inoculationem ineptas reddit, cum tertia vel quarta pars earum, ſaltem apud nos, eodem laboret, et in aliis regionibus is non minus ſit admodum frequens. *Grauiditas et Puerperium*, Schultze I. p. 31. magna iterum exceptio, nam multis foeminis, dum ob delicatulum genium, qui omne, quod moleſtum videtur, a ſe declinare amat, nutricibus liberos ſuos relinquunt, per plures annos grauiditas et puerperium arctiſſime inter ſe cohaerent. *Mobilitas neruoſa*, Tiſſot. §. 69. qui eam ſingularia mala in variolis patrare dicit, quae tamen tam praeparatione, quam idoneis remediis, ſub ipſo decurſu morbi, praecaueri poſſe exiſtimat. In aurem dicam, aeſtumatiſſimo et amatiſſimo meo Amico, mobilitatem hanc, et quae inde pendent, hyſterica pathemata, ſaepe per omnem vitam optima arte non tolli, vel ob natiuam corporis fabricam, diſpoſitionemque haereditariam, vel ob pathematum animi viciſſitudines, et diaetae peccata. Supereſt magnum inſitionis impedimentum, *Lues venerea* (Shultze

tze I. p. 28. et alii). O quam ingens numerus noſtris temporibus, quae pietatem, et intemeratos mores, exuta omni verecundia, pene ignorant, hominum, quos foeda ſiphylis contaminauit! hi ergo omnes arcendi erunt ab inſitione et adhuc infecti, et ſanati viſi, namque, ſi mercurii beneficio conualuerint, peſſimas variolas expectare debent. Quamuis enim multos, ſaliuatione ſanatos, exhauſto iam corpore, macie pene confectos, et dein lue varioloſa affectos, omnes facillime ſaluos euaſiſſe memoret MEAD a), huic obſeruationi tamen non fidit SCHVLTZIVS b), ſed attendendum vult, donec eiusmodi aeger vires recuperauerit. Lego quoque apud eum huic monito adiectam hiſtoriam militis, qui poſt ſuperatum ptyaliſmum, peſſimas variolas ſubire debuit. Nec miror; namque non ſolum Tu, CELEBERRIME HAËNI, mercurialia antea vſurpata tales poſt ſe traxiſſe, notaſti c), ſed et Cl. TISSOTVS d) ea nocere multis, paucis vtilia eſſe, etiam purgandi fine adhibita, edixit. Commendari pro inoculatione ſe-

a) *Cap. IV. p. 58.*

b) *Part. I. p. 29.*

c) *Rat. med. II. p. 20. ſeq.*

d) *Lettre p. 39.*

 

curiore, vt plurimum ſolet, pus infantis, aut pueri coetera ſani, et ſanis parentibus pro-gnati a), atque et eo fine, vt venereum virus certius abſit, pus infantis ſeligendum commendat SCHVLTZIVS b). Tu vero rectiſſime quaeris c), vnde ſciatur infantem a fermento venereo eſſe liberum, quod a parentibus et a nutrice ipſi potuit communicari, quod latere poteſt diu ſub larua plenariae ſanitatis, et aliquot annis elapſis ſeſe demum manifeſtare. Si vero id ita ſeſe habet, nonne clariſſime conſtat, contagio venereo per populoſas ciuitates, proh dolor! longe lateque diſperſo, et anceps eſſe pus ab infante aliquo deſumtum, et ancipitem eſſe apud multos infantes, puerosque forte eo iam infectos, inſitionem variolarum. Sed vlterius! Inter adultiores, illos, *qui vinum et aquas vitae liberalius ingurgitare conſueuere*, procul abeſſe iubet ab inſitione TISSOTVS d). Cumque eo conſentiens SCHVLTZIVS e) abſolute eam vinolentis et ebrioſis prohibet, cum nunquam mali moris variolas effugiant, atque magno Inſitore, Celeb.

a) *Mead. C. V. p. 68.*

b) *Part. I. p. 71.*

c) *Refutat. p. 94. 95.*

d) *Inoculat. iuſtif. §. 34.*

e) *Part. I. p. 29.*

AR-

ARCHERO teſte, haec veritas ita vniuerſalis ſit, vt nulla ipſi exceptio innotuerit. Sed o bone Deus! quam familiare eſt, corrupto hoc ſeculo vitium, Vinolentia! quam longe noſtra aetas remota, a dogmate *Platonis* a), quo ſanxit, vt pueri vsque ad duodevigeſimum annum vini vſum prorſus ignorent, deinde vino moderate vtantur, vsque ad annum aetatis trigeſimum, ab ebrietate iuuenes omnino abſtineant, vt 40 annum emenſi demum vino adſueſcant, et ſenes aduerſus ſenectutis duritiem eo liberalius vtantur. Iam non Viri ſeſe inuicem prouocant, ſtrenueque in bibendo, vt ne guttula in fundo reſtitet, certant, et vincere alios, vacillante greſſu, et balbutiente lingua, amant; ſed iuuenes 14 annos vix habentes patrum veſtigia egregie premunt, ſanguineque, qui tum turgere incipit, praemature ſpirituoſis liquoribus accenſo, illicitis et ſpurcis amoribus totos ſeſe abripiendos tradunt. Multum damni ominor inſitioni, ſi maſcule ſeſe contra alios hoſtes tueatur, a Bacho et impura Venere, vel ſolis. Cauſam inoculationis

a) *de Legibus II. pag. 786.*

 defen-

defenſurus recens Auctor quidam anonymus Gallus, lethalitatem plurimam variolarum, quam Londinum expertum eſt, deducit a neglectu diaetae, et ab abuſu vini aduſti, apud ignobiliorem et nobiliorem vulgum in conſuetudinem degenerante. Quis vero vtrumque vulgum meliora docebit, quis ab hac peſte ipſum liberabit? Niſi ergo certo noxiam Medici voluerint inſitionem, bene multis illam debent denegare. Nunc vero, quando omnia, quae hactenus, celeberrimis Inſitoribus mihi propria ſua praecepta ſuppeditantibus, diſputaui, ſine omni praeiudicio, nec deditus huic operationi, nec alienus ab eodem rectiſſimo obtutu conſidero, non poſſum non euidenter doceri et conuinci, permagnum eſſe numerum mortalium, qui ad inoculandum prorſus inhabiles haberi debent. Largitur inſuper vltro Cel. SCHVLTZIVS a), praeter allatos, alios morbos chronicos anſam dare poſſe malignioribus variolis, eaque propter adhuc inquirendum eſſe, qui eorum inſitionem ferant vel minus. Igitur hominum numerus, eidem inhabilium, adhuc in-

a) *Part. I. p. 34.*

increſcet. Non ergo amplius hoc inuentum, tanquam ſaluberrimum, pro vniuerſo genere humano poterit venditari, ſed abeſſe iuſſis, qui abeſſe iubentur, dimidiae, tertiae, quartae parti hominum ſaltem accommodari poterit, licet omnes ſuas laudes et praerogatiuas ſartas, tectasque ſeruet. Supereſt vero adhuc ipſis obiectus magnus offenſionis lapis, quem e medio feliciter ſublatum videre praeoptarem. Durantibus ſiue aliarum febrium, ſiue variolarum epidemiis, grauioribus minimum, nullum inſitioni locum eſſe, ſi non omnes, tamen plurimi afferunt eius artifices a). Tu vero, INGENIOSE HAËNI b), poſtquam monueras, non raro epidemias variolarum valde malignarum, inſtar fulminis ex improuiſo inuadere, periodicumque earum itum et reditum nullam humanam ſagacitatem praeuidere poſſe, SYDENHAMO praeeunte, catenam epidemiarum diuerſarum, et varioloſarum praecipue, recenſes, ab anno 1661. vsque ad annum 1674; deinde, HVXHAMO tibi viam monſtrante, ab anno 1728 vsque

a) *Tiſſot Lettre p. 64.*

b) *Refutat. p. 105. ſeq.*

ad 1748, vrgesque, per omnem hunc annorum decurſum, ſecundum ipſa celeberrimorum Inſitorum praecepta, rem illicitam fuiſſe, inſerere variolas, quod cum nihilominus fecerint, contra leges, a ſe ipſis ſancitas, grauiter impegiſſe, contendis. Videant illi, quomodo ſeſe exculpent. Ego pedem hic figo.

  

Atque ita, ERVDITISSIME HAËNI, impoſitum a Te mihi laborem, pro virium mearum modulo, adeo aliquo ſupplemento addito, exantlaui. Iure a Te mihi tradito vſus ſum libere, non equidem reprehendendo ea, quae aliter ſe habere mihi viſa ſunt, quam Tibi; ſed ea ſaltem expendendo, emolliendo, amouendo, ſimulque non negando praefracte et impudenter, quae negari haud poſſe, iuſta trutinatione praegreſſa, intelligebam. Confido ea propter, Te, in veritate inuenienda, meam in biuio ſtantis chriſtianam intentionem, et animi candorem, calculo Tuo dignaturum fore porro. Forte autem mihi ea nunc contingit infeli-

citas,

citas, vt tot inoculationis Amici, Viri eximii, quibus non minus, quam Tibi, existimationem et venerationem debeo et exsoluo, Te me haud idoneum controuersiae arbitrum selegisse affirment, causam suam fortioribus armis tuituri, Tu vero in omnibus valorem tuarum assertionum me non assecutum esse, queraris: Forsan et lectorum aliqui credent, me mihi ipsi passim contradixisse; sed illi perpendant velim, inoculationem diuersimode consideratam, diuersam semper exhibere faciem. Difficile est, bifrontis modo vultum blandientem, modo seueriorem et austeriorem, contueri, atque illo non allici, hoc non in quemdam terrorem coniici. Nondum credo id felix temporis momentum adest, quo, quem prae altero adspicere iuuet, extra omnem controuersiam collocari possit. Praestiti sincera mente, quae potui, vtinam veritati, quae vna est, et simplex, tantillum lucis ex meis meditationibus accederet!

  

  

Fas vero mihi ſit, iam dolere triſtia fata vniuerſae Medicinae, ob ſummorum in arte Virorum diſcordiam, et tot differentes inter ſe, et e diametro pugnantes ſententias, circa talia, quae et ſalutem, et vitam, et necem, generis humani reſpiciunt.

Quot altercationes ore et ſcriptis in tota Europa peperit, per tot annos, ex quo nobis innotuit, cortex Peruuianus, cuius vſum contra ſecus ſentientes, poſt BOHNIVM, HOFFMANNVM, BERGERVM, BOERHAAVIVM, demum ſolide vindicauit Ill. WERLHOFIVS. Neque tamen deſunt, quod ſciens ſcribo, doctiſſimi coeteroquin Viri, qui eum ad hunc diem odio proſequuntur, et ſine omni ratione varia mala ab eo metuunt, et ab vſu praegreſſo deducunt.

Memini, STAHLIVM alicubi ſcripſiſſe, martem, vt remedium intus ſumtum, generi humano pernicioſiorem eſſe quam apparatum bellicum, inde arte praeparatum. Dantur Medici, qui adhuc hodie horrent remedia

dia martialia, alii late patentem vſum defendunt, et recte.

Pugnatur ad hunc diem quoad vſum Opii, qui mea ſententia inepte ab aliquibus fere omnis reiicitur, aliis nimis frequens eſt, aliis nimis rarus, aliis intempeſtiuus, paucis rectus et congruus.

Efficax et innocuus eſt, per *Swieteniana* et aliorum Medicorum Viennenſium, Londinenſium, etc. obſeruata, Mercurius ſublimatus, ſolutus in ſpiritu frumenti, talemque ego ipſe ſaepius deprehendi. Audiui tamen et legi taxatum a Medicis nonnullis et Chirurgis, quos inter non multum curo Cl. *Pomme* a), qui remedium Swietenianum hoc pro veneno declarat. Miror autem Cel. HVNDERTMARCK, peritiſſimum dum viueret Medicum et Chemicum, atque doctiſſimum Lipſienſium Profeſſorem, nec litteris ab Ill. SWIETENIO acceptis, eo perduci potuiſſe, vt late patentem fructum agnoſceret, et admitteret, quem teſte Cl. LOCHER, Medico Viennenſi, inque noſocomio ad S. Mar-

a) *Traite des affections vaporeuſes Lugd. Gall. 1763.*

Marcum Physico, intra 8 annos aegri 4880, felices experti sunt.

In sensus incurrere debent, per innumerabilia experimenta, partium corporis humani sensibilitas, et irritabilitas. Sed graui moerore adfligor, et acuto doloris sensu discrucior, quoties TVI et ILLVSTRISSIMI HALLERI, meritissimorum Virorum, sensibilia bella intestina perpendo, pacem humaniter, comiterque inire molito HALLERO, quam Tu noluisti.

Legeram cum voluptate obseruationes Ill. STOERCKII de Cicutae innocentia et efficacitate, autoritate sine pari, Illustrissimi *L. B. van* SWIETEN, nuncque multorum Medicorum Viennensium, aliorumque, atque et hic Vratislauiae comprobatas. Proficiscebar euocatus ad celsissimum PRINCIPEM de SVLKOWSKY, tangebam totum abdomen, tumoribus duris varii generis, diuersae figurae, magnitudinis, sub cute, et profundius consitis, refertissimum. Assumtum erat per 5 menses extractum cicutae, Vienna allatum, sine fructu, quem non promiscue

cue omnibus ſpondet, vt nullum remedium ſemper iuuat, celeberrimus Inuentor. Celſiſſimus aeger, confectus macie, iam laborabat diarrhoea foetente, febricula hectica, carebatque appetitu et ſomno, vt ego in aetate in annum 70 vergente, non niſi acerbam prognoſin formare poſſem. Monſtrabantur mihi, DOCTISSIME HAËNI, litterae Tuae dehortatoriae, ad Medicum ordinarium exaratae, in quibus, extra me raptus atque ad tempus in lapidem obrigeſcens, verba inueniebam: *Candide fateor, centum ac decem experimenta a me capta, ita me fefelliſſe, vt palam teſter, nemini profuiſſe, plures in peius lapſos eſſe, eiusdemque continuato ſub vſu octo periiſſe. Concluſi, cicutam ineptum eſſe remedium.* Iam ſtupens peruoluo diſſertationem, *Helmſtadii* hoc anno habitam, a Cl. LANGIO, Phyſico prouinciali, in qua quaeuis mala a cicuta, medelae ſperatae loco, nata offendo. Adhibitum eſt ab eodem eius extractum pertinaciter per integrum annum, ad duas quotidie drachmas, in ſcabie, in vlceribus cutis, in achoribus, in poda-

gra,

gra, in cataracta et amaurosi, in obstructionibus glandularum, et cancro. Sed sancte testatur Auctor, (quis hoc vnquam expectasset?) quod nil iuuerit, quod plerumque varia mala induxerit, quod summam debilitatem, appetitum prostratum, dolores acutos in pectore, in viis vrinariis, vertiginem, dolores capitis, tussim, post se reliquerit, ita vt abstinere ab vlteriore vsu debuerit. Paucas deinde eius vires, et morbos, in quibus aliquem fructum edit anceps et periculosum remedium, recenset, qui tamen, eius iudicio, per alia probata pharmaca securius impetretur. Non minus mirari haud desino, *Richardum Guy* a), de arcano sibi in cancro cognito gloriantem, atque publice asserere non veritum, cicutam etiam in paruis dosibus noxiam fuisse.

a) *Observations on cancers Lond.* 1762.

Cum voluptate expendi obseruata Tua numerosissima, de felici adhibitione Vuae vrsi, in morbis renum et vesicae sanandis, et palliandis. Suasi illam amicissimo Viro, qui, ea Vienna allata, se cum fructu vti, mihi enarrat. Interim Berolinensis Medicus

cus, *Gerhardus*, ſuperiore anno edidit *Tracta-tum chymico-medicum de Vua vrſi*, in quo valde dubitat de viribus eius in morbis viarum vrinariarum, vſumque fere noxium declarat. Neſcio adhuc, an experientia ſufficiens Tuae, qui remedium ſaepiſſime exhibuiſti, queat opponi. Analyſis chymica effectum remediorum haud determinat.

Sed obſtupeſco, Medicos Viennenſes celeberrimos acriter diſputare, et inter ſe conuenire non poſſe, ſintne exanthemata vtplurimum factitia, calidiſque remediis et tali regimini debita, vel et naturalia, et critica, atque ab ingenio ipſius morbi pendentia?

Neſcio quid ſentire debeam, quando Te explodere video a) exiſtentiam febris haemorrhoidalis, et apud illuſtrem STOERKIVM b) integram tractationem de febre haemorrhoidali offendo, quam adeo admodum frequentem fuiſſe dicit. Pulchre recordor, me cum multo emolumento, adhuc Studioſum Medicinae, legiſſe diſſertationem Leidae habitam *de Furore haemorrhoidum*, theo-

a) *Rat. med. Tom. VII. c. 5. §. 5.*

b) *An. med. II. p. 148.*

theoriae Boerhaauianae de inflammatione ſuperſtructam, et febris geneſin inde deducentem.

Taceo plura, ſaltem iam doleo, nondum euinci potuiſſe, ſitne repudianda vel admittenda inoculatio, poſt tot ſcripta experientiſſimorum Virorum, pro eadem, et contra eandem, publicata. Bone Deus! quae opinionum differentia! quod ſententiarum diuortium! *Omnia ſecula futura noſtro inuentum hoc inuidebunt*, ita gratulabundus perorat Ill. *de la* CONDAMINE a). *Omnia ſecula futura, vituperatura merito inſitionis methodum, lubrico fundamento innixam, iuſte carperent Medicos praeſentes, ſi tacuiſſent*, ita Tu exclamas b). Quae vero tandem ex hiſce diſceptationibus, nondum ad finem perductis, nec facile perducendis, reſultabit veritas? Vna haec credo, certam ſalutem miſeris mortalibus nec eſſe ab inſitione variolarum, nec a naturalium therapia, vtrinque moriendum eſſe, ſi adfuerit decretoria horula. Si poſt accuratam expenſionem argumentorum vtriusque partis, operationi vel

a) *Part. II. circa finem.*

b) *Refutat. p. 141, 142.*

vel fauentis, vel contrariae, mea mihi nihilominus ſuperſtes ambiguitas lecturis diſpliceat, en! quae ante duos annos ad me ſcribere dignatus eſt, Ill. *L. B. van* SWIETEN: *Nondum omnia, quae inoculationem ſpectant, in illa luce poſita ſunt, vt certi quid ſtatuere poſſem.* Atque haec in aliis, quae praxin medicam ſpectant, a me animaduerſa incertitudo, toties mihi crucem fixit. Licet enim per DEI gratiam, perque aſſiduos labores egregiorum Virorum, omnino non ſit vniuerſalis, maior tamen eſt, quam putatur. Poterant eam minorem reddere controuerſiae ſolidae, inter Viros eruditos, probos, candidos, agitatae; illis enim ad inueniendum verum, magno Iuriſconſulto GVNDLINGIO, Iudice, nil datur aptius, dubiis et reſponſionibus ab vna et altera parte in apricum poſitis. Sed abeſſe debent affectus, raro ab homine, vt homine lapſo, ſeparabiles; his omnia turbantur, et fruſtranea ſaepe adhibetur opera. Nunquam laudabo *Henricum Cornelium Agrippam*, de incertitudine et vanitate omnium ſcientiarum

agen-

agentem, neque in artis, quam exerceo, opprobrium, illi ſubſcribam, quando nullum pro conſeruanda vita et ſanitate vtilius conſilium habet, quam abſtinere a Medicis a). An vero vitio vertere debeo Ill. BOHNIO, tanto Viro, quem cum HOFFMANNO micare inter omnes Medicos edixit BOERHAAVIVS, quod amico cuidam in aurem dixerit, ſe parare tractatum de Scepticiſmo medico, poſt fata ſua demum edendum, cuius tamen manuſcriptum paulo ante mortem, cum aliis, ſine dubio igni deuorandum tradidit. Quid dicam de inſigni olim ornamento Medicorum Sileſiorum et Vratislauienſium, eruditiſſimo CHRISTIANO *de* HELWICH, Autore hiſtoriae morborum Vratislauienſium, Practico feliciſſimo et longaeuo, breui ante obitum, Archiatri Caeſarei dignitatem ſperare iuſſo. Hic mihi, ab Academiis reuerſo, atque tum pruritu demonſtrandi grauiter laboranti, placido vultu, graui tamen voce, cuius nunquam dememinero, aiebat: *Quaeres o bone! certitudinem in Medicina per omnem vitam, ſed vel*

a) cap. 82. 83.

nona-

nonagenario maior ad finem eius, in praxi inuenies nullam. Commendabat ſimul, legerem ſedulo *Franckenau deſiderata medica*, quae, cum additamentis bene multis, denuo ederet, ſi opus eſſet. Atque ante paucos annos, ſpiſſo volumine, venerabilis MORGAGNI, *de cauſis et ſedibus morborum per anatomen indagatis*, conſcripto docuit, quam ſaepe Medici has et illas ignorent, quam turpiter non raro ſemet deceperint. Fallor, aut haec talia humilitatem illos docere debent. Nullum animal rationale a ſana ratione magis deflectit, quam Practicus ambitioſus, ſe tantum ſapere exiſtimans, et alios alto ſupercilio parui faciens. Eruditiſſimus labitur, exempla ſunt odioſa. Inter mediocres

Saepe etiam eſt aliquis valde opportuna locutus.

Ex parte cognoſcimus, aſt vbi venerit, quod perfectum eſt, tunc quod ex parte eſt abolebitur. (ad Corinth. XIII. v. 9. 10.)

   

PARS II.

a) pag. 62. Iam accedo ad alteram partem a) Tui schediasmatis, EXCELLENTISSIME HAËNI, in qua primo loco amicam meam defensionem amice aggrederis, et me falso Te alicuius censurae insimulasse ais, cum illa non nisi a TISSOTO, et SYDENHAMO, sit profecta. Epistolam TISSOTI ad *Hirzelium*, ex qua censuram eius aliquam, pro leniore omnino habendam, excerpis, omni pretio Bibliopolis nostris oblato, obtinere ad hunc diem nequiui. Viuimus in multis Vratislauiae, vt semi-litterati, multa tardius, multa plane non, legere licet. Si Lipsienses nundinae et nouellae litterariae nos destituerent, actum de nobis esset. Tu ergo primus me doces, HONORATISSIME HAËNI, quid TISSOTVS in me desiderauerit, nempe vaporationes acidas, quas cur omiserim, et omittere debuerim, in epistola ad Te scripta perspicue exposuissem, si eius animaduersio, non iniusta, mihi antea innotuisset. Ex materia medica Boerhaauiana Sect. 809. No. 5.

No. 5. quae quotidie mihi ad manus eſt, a iuuentute mea didici, vſum vaporis calidi, ex aceto fl. ſambuci, roſarum, calendulae, infundibuli ope hauriendi, in fauces, in angina inflammatoria, et peripneumonia vera. Quoties ergo cum his morbis mihi res fuit, toties ab omiſſionis crimine me liberum praeſtiti, licet, quod BOERHAAVIVS alibi in Commentario ſuo notat, hic vapor primo videatur ſuffocare, aquae admiſtione mitior reddendus. Non igitur miror, dum ipſe exemplis ſimilibus non deſtituor, orthopnoeam varioloſam, hoc vapore raro fallente, et TISSOTVM et HALLERVM abegiſſe. Verum vidi tamen aegros tenuioris habitus, et irritabiles, ſenſibilesque foeminas praecipue, quae vapores tales neutiquam ferrent, etiam ex poſca. Cum circa finem anni 1757. et initium 1758. Vratislauiae milite Caeſareo, et Boruſſo fere obrueremur noſtris in aedibus, in meis febre maligna petechiali moriebatur L. B. de R. ſepulturae honoribus, ob turbas publicas, per 3 dies carens, et per duos ne quidem ſarcophago incluſus. Deuaſtabat

vrbem grauis epidemia, metuebamque valde, ne ego cum meis inficerer, ingrata naribus mephyti, adeo propinqua. Vt periculum declinarem, prunis puluerem pyrium iniici ſubinde, et in vaſis hinc inde poſitis, acetum forte perpetuo bullire faciebam, vt vapor penetrantiſſimus omnem aërem a nobis inſpirandum per totam domum corrigeret. Erant e meis, qui de difficultate reſpirandi, et perpetua tuſſicula, conquerebantur, quibus ego Vir hyſtericus ipſe acceſſiſſem, niſi domo exire, et aegros meos viſitare debuiſſem. Haec patiebamur, faucibus noſtris et pulmonibus ſanis. Iam conſideremus meam aegram; haec non laborabat nuda angina, et peripneumonia inflammatoria, ſed oris interni linguaeque et faucium omnem ſuperficiem obſeſſam habebat puſtulis prorſus innumerabilibus, vt ex hiſtoria patet a), ob quas vel tantillum aceti, ſucci citri, nitri, adeo in emulſione, non ſine mota ferina tuſſi, ferre poterat. An locus vllus tum fuiſſet vaporibus acidis? An Ill. BOERHAAVIVS, in orthopnoea inflammatoria

a) *de methodo medendi variolis inſufficiente p. 59. 60.*

tales

tales commendans, eos etiam laudauit in curatione aphtharum, quae malignae, forte benigniores tamen sunt malignis variolis. Ego, eius apparatum medicinalem adspiciens, blandissima quaeuis pro vaporibus, collutoriis, cataplasmatibus, offendo, nil ne quidem subacidi. Acquiescet confido hac exculpatione Ill. TISSOTVS, qui, quod miratus sum, pustulas in ore interno nullas, aut saltem rarissimas, agnoscit, a me saepius visas.

* * *

Verum longe minus iustam esse querelam meam, quoad censuram SYDENHAMI dicis a), cum de Tua propria sententia addideris nihil, ego vero ipse edixerim, me a SYDENHAMO discrepare. Speciosus es, fateor, ILL. HAËNI, vt me contra Te iniquum fuisse probes, sique fuissem, peramanter a Te veniam publice peterem. Verum consideres oro, TISSOTVS, adhuc per Dei gratiam viuens, defectum, quem mihi comiter imputat, ipse notauit, de SYDENHAMI censura prorsus tacens. Tibi rectis-

a) pag. 65.

ſime SYDENHAM habetur alter HIPPOCRATES, auctorque claſſicus, quoad morbos acutos, et ſpeciatim variolas, quem decies ea propter legendum voluit BOERHAAVIVS. Iam Tu ſcribis, SYDENHAMVM, ſi viueret, me taxaturum fore; nonne ergo Tu demortui vices ſupples, nonne ſic Tu me taxas? Sed carpis praeter rem, namque ſi viueret SYDENHAM, et meam ſententiam, eidem contrariam, de opio in variolis exhibendo, ignoraret, ex caſu controuerſo, me a ſe diſſentire neutiquam colligeret. Scilicet dedi aegrae meae verum opium, quousque licebat, quousque SYDENHAMVS illud exhibuiſſet ipſe, atque non niſi propria eius praecepta ſecutus, vt in epiſtola mea apologetica Tibi monſtraui, id ſepoſui. Scilicet quando ſaliua, in aegri faucibus collecta, adeo viſcida redditur, vt aeger ſingulis momentis a ſuffocatione periclitetur, ſtupore obrutus, et ſpiritu fere vndiquaque praecluſo, gargariſmata equidem commendata ab eo inuenio a), ſed de opiatis altum hic ſilentium. Allegaui in mea epi-

a) *Operum p. 196.*

epiſtola apologetica, ad Te ſcripta a), magnos opiatorum in variolis fautores, WERLHOFIVM, MEADIVM, HVXHAMVM, qui omnes tamen opium in eiusmodi rerum ſtatu vnanimiter diſſuadent. Iam his adhuc addo HARRISIVM b), qui narcotica viſciditatem humorum ſuffocatiuam magis incraſſare, dubia hic eſſe, incerta, vires deprimentia, et exinde aegrotantes in magnum vitae diſcrimen praecipitare, ſcribit. Quod febrem ſuppuratoriam amatiſſimae aegrae attinet, ea vix per 8 horas durauit, morte iam celeri greſſu accedente, cumque ad eam mitigandam, Anglos ſecutus, ſtatim, vbi ingruebat, potionem mannatam exhibuiſſem, nulla operatione inſequente, non potuiſſem exhibere opium, ſua natura aluum occludens, ea nondum mota, forte vero operatione finita et mitigata febre, ad componendos tumultus id deinceps porrexiſſem. Vides ergo, nec a SYDENHAMO, nec a TE, eius perſonam vere repraeſentante, me culpari merito poſſe.

a) *pag. 18.*

b) *Diſſ. med. chir. p. 46.*

* * *

Iam p. 65 et 66. Te excuſas, quod me liti tuae cum Cl. TISSOTO immiſcueris, cauſamque miſcelae, locum, vt agnoſcis, non habentis, exponis, quia ſero nimis ad aegram meam, erumpentibus iam variolis, acceſſi, et antea agenda agi amplius nequibant. Simul quid Tibi faciendum fuiſſet, vt me ab omni culpa Te abſoluere intellexiſſem, qui nihilominus TISSOTO grauis et grauior adhuc, rebus ita geſtis, futurus eras, comiter explicas. Omnino tunc nullam mihi occaſionem ſubminiſtraſſes, me coram Te, a quo culpatus eram, exculpandi. Nunc vero animaduerſionem Tuam, ſiue talis fuerit, ſiue ſimplex relatio, libenter fero. Eidem enim debeo reſponſionem Tuam doctiſſimam, ad meam epiſtolam apologeticam, et Medico orbi perutilem, et mihi, paucis exceptis, valde honorificam.

* * *

Pag 67. ob deſertam a Te ſententiam BOERHAAVII, circa V.Snem in febre ſuppuratoria celebrandam, rationem reddis, at-

que

que me, vt in eius medela opium, ita et ipſam V.Snem repudiare ſcribis. Verum circa hanc falleris, EXIMIE HAËNI! Maximopere plaudo animi Tui aequitati, quod, praeceptoris placitis alioquin firmiter inhaerens, (cum ſolidiſſima ſint, et multa obſeruatione, atque iudicio vltra communem humanam aciem euecto, enata,) mentem mutaueris, atque SYDENHAMI et MEADII adhortationibus, quibus et HVXHAMVM addere poteras, Te permiſeris, valorem earum Tua Praxi edoctus. Fateor ingenue, cum vnum aſſertum BOERHAAVII mihi ſemper pluris fuerit, quam multa multorum, tenaciter animo meo inhaeſiſſe verba eius: *Scio quod* SYDENHAMVS *recurrat ad V.Snem, ſed in corpore ſuppurato eſt ſatis periculi* a), eaque propter per plures annos, quibus Medicinam exercui, me ab ea abſtinuiſſe. Dolet SYDENHAMVS b), ſe nimis ſero in vita ſua comperuiſſe vim V.Snis, in fraenanda febre ſuppuratoria. Doleo ego, quod ſerius, ad vnum BOERHAAVIVM reſpiciens, in ſuccum et ſanguinem conuerterim,

a) *in Comment. ad aph.* 1402.

b) *de febre putrida, variolis confluentibus ſuperuenienté, Operum p.* 688.

rim, quae diu apud SYDENHAMVM et MEADIVM legeram, quodque fere demum ab HVXHAMO et Te ipſo, MI HAËNI, in quouis variolarum ſtadio, vrgente febre, peripneumonia, pleuritide, V.Snem adminiſtrandam eſſe docente a), conuerſus ſim. Citius forte introſpexiſſem V.Snis proſperos effectus, quos interdum ſaltem illa exerit, niſi, Cel. FREINDIVM et alios Anglos ſecutus, purgantia, ab ipſis fere V.Sni praelata, ad mitigandam peſſimam hanc febrem adhibuiſſem ſaepius, eorundemque magnas omnino vires, etiam ſine V.Sne, expertus eſſem. Quod vero antequam infelicem, ſine mea culpa curationem, longiori vita digniſſimae BEVCHELIAE meae ſuſciperem, conuictus iam ſciuerim V.Snis neceſſitatem, conſtare poteſt ex hiſt. II. iuuenis, cui adminiſtrata eſt ex meo conſilio, licet ſine omni fructu, breui enim poſt eam moriebatur b). Cum dein Hirſchbergae verſarer, atque Medicum iuniorem, qui iuueni, variolis confluentibus laboranti, venam incaſſum vndecimo die pertundi fecerat, ciues aliqui

a) *Rat. med. Tom. II.*

b) *de methodo medendi variolis ſaepe inſufficiente.*

qui acriter criminarentur, emphatice culpam mortis ab eo declinare ſtudui, qui virgini nobili Polonae, confluentiſſimis variolis affectae, ante aliquot annos Vratislauiae commoranti, poſtquam II. die exhibitum mannatum pharmacum, et febrem et anxietates non leuaſſet, altera die laborioſiſſime reſpiranti ſanguinem mitti feceram, praeſentaneo cum emolumento. Quanquam vero, vt ex his patet, V.Snis praeſtantiam lubens agnoſcam et admittam, non tamen in omni hac febre, et in omnibus ſubiectis ſine diſcrimine, eam locum habere credo. Scilicet ſi ſecunda febris ad inflammatorias pertineat, ſi vis vitae verſus ambitum corporis ſit ſumma, ſi pulſus ſit fortis et plenus, calor magnus, cum anxietate inflammatoria, palpitatione cordis, angina inflammatoria, delirio, atque purgans antiphlogiſticum, cum acidis nitratisque minus efficax futurum iudicetur, atque citiſſimo auxilio opus ſit, tum omnino ſtatim ad V.Sem recurrendum eſſe noui. At haec febris ſecunda, quod WALL, MONRO, HVXHAM,

ROSEN

ROSEN, aliique, bene annotarunt, aliquando magis eſt putrida, quam inflammatoria, cum vi vitae torpente et ad corticem corporis haud extenſa, cum pulſu celeri quidem, ſed paruo, viribus deiectiſſimis, et variolis ſerum gangraenoſum continentibus, atque interdum tetram mephytin ſpirantibus. In hac vero rerum facie, V.Sem aeque instituendam eſſe, nec Tu, nec alius expertus Medicus facile affirmabit, omnibus ſagacioribus ſine illa, antiſeptica ſumma circulumque excitantia in vſum vocanda eſſe clamantibus. Talis erat febris amicae meae, cui extractum corticis mature obtruſeram; ſatius ergo ducebam, vires minus peſſundaturum, conſulente MEADIO, aliisque, lene admodum purgans praeſcribere, quam confugere ad V.Sem, et phlebotomo ipſam aegram confodere, licet poſt eius fata diu anxio et meditabundo, et affectuum tyrannidi expoſito, V. S. ſaepe in memoriam veniret, quam tamen, vbi ſerena et compoſita mente omnia trutinare valebam, adminiſtratam, malam futuram fuiſſe conuincebar.

Iam

  

Iam obſecro Te et obteſtor, EXCELLENTISSIME HAËNI, mihi ignominioſam ſuſpicionem ponas a), eo imprudentiae me proceſſiſſe, vt tecte inſinuauerim, Te raro variolas confluentes tractandas habuiſſe. Relege meam epiſtolam, et nil aliud inuenies, quam cum de febre ſecunda (quae proprie mortem in variolis excludit, prima cum ſuis ſymptomatibus rarius necante,) nullibi ex inſtituto egeris, ſed de felicibus plerumque ſanationibus, et mortibus recta methodo adhibita feliciter auertendis, verba feceris, eos, qui Te Virum Practicotatum non noſſent, (omnes autem talem Te norunt) facile in erroneam opinionem delabi poſſe, ac ſi raro variolas confluentes tractaſſes. Mihi quidem hoc nunquam in mentem venit, atque dum Te hac de re certiſſimum eſſe iubeo, mihi non denegabis fidem, quia candidum me habes.

a) *pag. 70.*

  

Sed his excuſſis, venio ad vexatiſſimum argumentum de opio b), in quo vere haud

b) *p. 70. ſeq.*

haud conuenimus. Concedis, VIR EXPERIENTISSIME, et EXPERTISSIME, cum opio nonnullos aegros, variolis affectos, esse mortuos. Ego sincere testor, me confluentes variolas sine opio, non raro per Dei gratiam sanasse, atque in ea ad hunc diem versari sententia, aegre a me sanatos, opio, maxime largius exhibito, facile trucidandos fuisse. Ante paucas hebdomadas, dum lectulo meo adhuc detinebar, me inuisit Vir spectabilis e Senioribus Mercatorum nostrorum, atque filiam, vt oculos suos dilectam, 13 annorum, eheu per 3 dies vomitubus, cephalalgia ingente, dolore dorsi, calore insigni vexatam, nunc ingentem copiam variolarum in facie exhibere queritur; cum mala haec omnia saltem diaetae, minus bene obseruatae, tributa, atque aliquot puluillis ex domestico pharmacopolio, foemellarum suasu, excepta hactenus fuerint. Exprobro optimo Viro, supinam socordiam, atque peto, vt Medicus alius amicus mihi iungatur, aegram visitare prohibito. Annuit facile. Dedimus decoctum hordei, cum

spir.

ſpir. Vitr. acidulatum, admixto Syr. Rubi idaei largiter; interdum, maxime poſt diem 8. ſimul nitrum, atque clyſma quotidie iniici fecimus. Praeterea ſummam neceſſitatem liberalius bibendi decocti inculcauimus, cum confluentes puſtulae in facie hinc inde violaceum colorem exhiberent. Nono die faucium incommoda abſolute abeſſe volebant vitriolicum potum, ergo inuiti debuimus praeſcribere emulſionem, Syrupumque de Alth. ſimpl. identidem lambendum, et hordei decoctum ſine acore indulgere, gargariſmatibus non neglectis. Decimo porreximus mannam, idem fecimus 11, 13, et 15. Sic optima puella ſeruata eſt, et ophthalmia aliqua ad tempus ſuperſtite, quae remediis idoneis ſenſim cedebat, plenariam ſanitatem recuperauit, ſine omni opio in vſum vocato. Tu, OPTIME VIR, vt ſententiam Tuam de proficuo vſu opii in ſecunda variolarum febre mihi contrariam ſtabilias a), adfers duos caſus, alterum Comitis, alterum biennis pueruli; ſed pace Tua dicam, ſalutem vtriusque deberi V. Si ſoli, gene-

a) p. 71. 72.

generoſo laudabilique auſu inſtitutae, et repetitae; ſique loco Syrupi diacodii dediſſes ſyrupum rubi idaei, vel acetoſitatis citri, perinde eluctati fuiſſent ambo. Confunduntur ſaepe peritiſſimi Medici, quando duo vel plura remedia ſimul vſurpata ſunt; duobus adſcribimus non raro bonos effectus, quos vni ſaltem, interdum etiam alterius noxas corrigenti et cicuranti, tribuere tantum debebamus. Repeto autem hic denuo, virtutem ſyrupi diacodii me plus demulcentem et antiphlogiſticam habere, quam opiatam, ob rationes a me allatas a), quas hic repetere nolo. Prorſus mecum ſentit, ſine vlla inter nos colluſione, amiciſſimus mihi TISSOTVS b). In caſu illo, quem SYDENHAMVS inſtar exempli adfert, quomodo variolae confluentes tractandae ſint, ſyrupum diacodii exhibet, non laudanum c), quod illo paulo magis calefacere ipſe agnouit d). Si hoc crebrius vocetur in vſum, certo crebriora edet noxarum ſuarum documenta. Tu poſt binos illos enarratos caſus, quos mihi opponis, nulla deinde differentia inter Syru-

a) *Epiſt. apol. ad Ill. de Haën p. 29. 30.*

b) *de Variolis, Apoplexia et Hydrope ad Ill. Hallerum p. 32.*

c) *Operum pag 474.*

d) *Operum pag. 464.*

Syrupum diacodii et Opium ipſum habita, (permitte quaeſo, vt hoc dicam,) paulo minus comiter mecum agis, ac toties alibi, parumque certe hic abeſt, quin me aliquantiſper crimineris. Si praxi turbulenta fatigatus, annum LVII. agens, praematurus ſenex, et valetudinarius, aeternitatemque quotidie cogitans, conſcripto Opere de Opio, fucum vendidi, ſi pro lubitu futiles ſpeculationes, lampadem Muſei olentes, in chartam conieci, ſi, quod et ILLVSTRISSIMO meo de HALLER, Philoſopho, Anatomico, Phyſiologo, Pathologo ſummo, (aliae eius dotes eximiae huc non ſpectant,) publice obiicere non dubitaſti, inutilem et damnoſam eruditionem oſtentare molitus ſum, orbique medico hypotheſibus et opinionibus, vt in variolis, ita et in multis aliis morbis impoſui;

O mox iuſta meos, o ſcinde Thalia libellos,

aut ego ipſe poenitens, illos Vulcano deuorandos, et annihilandos tradam. Sed

abſit vanitas, retinent me doctiſſimorum Virorum meliora ſentientium iudicia. Viam ingreſſus ſum, qua ſola, PITCARNIO et WOLFFIO Auctoribus, Medicina ab omni ſecta libera reddi, et ab hypotheſibus repurgari poteſt. Diſpiciet ſuper his poſteritas. Ad lectulos aegrorum per multos annos obſeruationes collegi, et digeſſi, verſatus ſaepe inter Collegas, opio multum in omnibus fere aegritudinibus fauentes; ceſſi non raro eorum placitis, diſſidia non amans, at ad ea, quae euenirent ſingulis, dato, vel omiſſo opio, attentiſſimus. Aeternae veritatis erunt experientiae, Sect. I. a me, conſentientibus Viris in arte ſummis, ſtabilitae; ſi hae fefellerint, neſcio, quid veri in Medicina detur. Si, his inconcuſſis manentibus, aliquando errauiſſem, in eliciendis conſectariis, Te duce corrigi nunquam detrectabo. Sed largieris, ſpero, poſthabita frigidiſſima hypotheſi, veterum commentis nixa, quod opium refrigeret, et vim vitae coërceat, et extinguat,

1. *Opium*

1. *Opium vim cordis augere, et circuitum humorum accelerare,*

2. *Opium calefacere,*

3. *Opium noſtros humores rarefacere,*

4. *Opium congerere ſanguinem celerius motum et rarefactum ad caput, et pectus etc. etc.*

Has propoſitiones, quas ſole meridiano clariores reddidi, mecum veriſſimas, rerum vſu edocti habent pene omnes, aut plurimi ſaltem neotericorum. Abeo miratus, ad tempus in Marpeſiam cautem, quando, paucos ſolidiſſima coeteroquin doctrina excellentes Viros ſibi perſuadere video, opium retardare motum ſanguinis circulatorium. At contra negantem principia non diſputo. Is vero haec diruere, et falſitatem eorundem oſtendere debet. Scio, mecum non facere Cl. *Robertum* WHYTT a), qui praeterea, quoniam Ill. HALLERVS ad me prouocauerat, ab opio ictus pulſuum ſub ſomno etiam augeri et accelerari aſſerentem, ſat ruditer in me inuehitur, et tamen

a) *Phyſiological Eſſays* 1761.

 varia

varia admittit, et concedit, ſequelas ſuae confeſſionis non bene introſpiciens, e. g. quod in cane ab opio apoplectico fuerit pulſus celerior. Cautum ipſum hoc phaenomenon reddere debuiſſet, ne experimentis ſuis cum ranis inſtitutis, qualia et inſtituit celeberrimus ALSTON, immiſſione ſoluti opii in earum ventriculum, opiatis iniectionibus in earum venas, cataplasmatibusque opiatis, toti earum corpori impoſitis, nimium tribuiſſet, et dum apud eas pulſuum ictus tardiores ſibi obſeruaſſe viſus eſt, hominibus idem accidere concluſiſſet, quibus tamen, ab opio necatis, breui ante obitum etiam pulſuum ictus tardiores redduntur, id quod ab omnibus venenis etiam calidis ita euenire WEPFERVS a) teſtatur. Nihil mihi negotii cum ranis eſt, neque de morbis earum, horumque medela, agere conſtitueram, cum librum meum de opio ſcriberem. Phaenomena obſeruanda ſunt in homine euenientia, poſt opium ore aſſumtum. Dum autem haec toties per multos annos alia inueni, *Youngianis*

a) *de Cicuta aquatica.*

gianis equidem reſpondentia, ſed iis contraria, quae *Whyttius* vidit in ranis ſuis, coaxantia, nilque articulati ſermonis habentia argumenta cenſeo, quae ab iis petuntur. Vidi cum ſtupore, adhuc Studioſus Medicinae, cum varia experimenta quoque cum his animalibus amphibiis facerem, iis, euulſo corde, vitam per horas manere ſuperſtitem. An in homine idem expectandum? an motus cordis et actus reſpirationis in hominibus talis, vt in ranis? an efficacia opii in vim cordis his, et illis eadem erit? Neque Tibi argumenta talia placere poſſunt, qui imprudenter ab experimentis in brutis captis ad homines concludi affirmaſti a), quod ipſum aſſertum, an ad vtrorumque ſenſibilitatem extendi queat, fabrica partium ſibi prorſus ſimili exiſtente, ad meam inquiſitionem praeſentem non pertinet. Certiſſimum, et perpetuum eſt in homine, opium accelerare circuitum ſanguinis, et proinde augere calorem; vnusquisque Medicus, ſi velit attendere, multiplicibus vicibus de hac veritate poteſt conuinci.

a) *Difficult. circa ſenſibil.* p. 19. 20.

uinci.

uinci. Allegaui alia occaſione a) caſum, quem memorat Cl. ALSTONVS b), de foemina homine, non de ranis, quae, per errorem, opii aſſumſit fere ſcrupulum vnum; pulſus reddebatur valde fortis, et celer, donec quadrante horae ante mortem debilis redderetur, et intermitteret. Pluribus vero obſeruationibus iam inſtruor, pro me clamantibus. Londini Cl. DOBSON c) vidit aegrum, qui vnciam dimidiam opii per errorem deglutiuit, et per vomitorium ſeruatus eſt, pulſus eius reddebatur celerior. Celebris Pharmacopoeus Londinenſis, IOHN AWSITER d) aliquot vicibus occaſionem habuit, videndi homines, ac iisdem medelam adferendi, qui non a tantis doſibus, quas recenſui, attamen a nimio vſu opii, cum ſummo vitae periculo, aegrotabant. En phaenomena! quae recenſet: *Succus hic*, inquit, *primo excitat calorem in ſtomacho, citatiorem reſpirationem* (ergo neceſſario et pulſum celeriorem), *vultum rubentem, exacte vt apud ebrios. Si mala haec augentur, ſingultus, ſopor, ſudor magnus,* *con-*

a) *de Opio Sect. I. p. 64.*

b) *Act. Edinburg. Vol. V. Part. I. Art. XII. Sect. III. pag. 195.*

c) *Medical Muſaeum Lond. 1763. Part. I.*

d) *An Eſſay upon the effects of Opium, conſiderd as a poiſon. Londini 1763.*

conuulſiones, etc. inſequuntur, tandem mors. Sine dubio opium inflammat ventriculum, et cerebrum laedit. Iniectum in venas circulationem auget a). Conſideret haec omnia Cl. WHYTT; nemo vero mihi obiiciat, circulum acceleratum pendere a magnis doſibus, ſique medicae doſes adhibeantur, res ſeſe aliter habere. Etiam in minore doſi opium efficere pulſus frequentiores, Auctores relationum litterariarum Gœttingenſium b) probant, et Whyttiana placita confutant. Vinum ad menſuras epotum, facit pulſum celerrimum, et quandoque acutiſſimam febrem; an autem dimidia, quarta, vel ſexta pars vnius menſurae refrigerat? Nitrum ad drachmam dimidiam, vel integram, refrigerat; an ad grana 5. vel ſex aſſumptum calefaciet? An ergo opium, quod ad grana, vicibus repetitis, vel plura ſimul exhibitum; ad ſcrupulum dimidium, et integrum, vel et ad drachmam, et vltra deuoratum, pulſum celerrimum reddit, et ventriculum inflammat, caputque rubens et aeſtuans efficit, ad vnum granulum

a) *vide egregiam diſſert. Gœttingenſem, doctiſſ. Sprœgel, quae habet experimenta circa varia venena, vbi multa mihi fauentia habentur.*

b) *1764 p. 195.*

lum datum, refrigerabit? Id, si hac dosi per hypothesin praestet, ad scrupulum dimidium, et maiori copia, per errorem deglutitum, necessario extemplo debet sistere vim vitae, et mortiferum frigus inducere, contrarium docente experientia, qua constat, a granulo dimidio adeo circulum accelerari, et calorem augeri.

*   *
*

Iam his omnibus deductis, fingamus, decumbere duos aegros simul, variolis confluentibus, in eodem conclaui. In priore II. die febris sit fortis, pulsus durissimus, plenissimus, rubor et turgor extremorum, diathesis cerebri, faucium, et pulmonum, inflammatoria. In altero, ob pustularum malignam indolem, pulsus sit languidus, vires deiectae, cum subsidentia et pallore extremorum. In priore, moderamine virtutis vitalis, et refrigeratione, minuta sanguinis rarefactione, et arietatione, ad ambitum corporis et omnes arteriarum apices, quae et in internis partibus inflammationes generat, omni-

omnino opus erit. Igitur ſecanda erit vena, dandumque erit purgans antiphlogiſticum. Exhibebisne vero, quaero ex Te humaniter, PRAECELLENTISSIME HAENI, miſſo ſanguine, cyathum vini, remedia acria aromatica, et ſalium volatilium drachmam, ad moderandam ſcilicet vim vitae, et ſanguinem refrigerandum. Vix credo; ergo etiam non apte dabis opium. Dicis, quid opii ſpecifica virtute ſua, prae vino inſtructi, granulum, ad vini cyathum? Sed iam reſpondi a), eſt aequa virtus; analogiam opii, et vini, poſui in apricum; ſique quae de ſubſtitutione huius, illo deficiente, illius, hoc deficiente, commemoraui, et alia omnia negligenda reputares, non negliges tamen, ſpero, a me adductum aſſertum BOERHAAVII Tui: *Opium parua copia aſſumtum idem facit, quod vinum magna* b). Noli quoque exiſtimare, (Praeceptor Boerhaauii, PITCARNIVS, tecum loquitur) c), granum opii cum grano ſalis volatilis eſſe conferendum; opii quippe granum, ſaepe ſexaginta et amplius granorum ſalis illius eſt d). Iudices

a) *Lib. de Opio Sect. I. p. 74.*

b) *Hiſt. Plant. p. 362.*

c) *Diſſert. de Circulatione in animalibus genitis et non genitis §. 19.*

d) *idem Mead de Venenis p. 130.*

dices nunc, omni praeconcepta et praeſtabilita opinione ſepoſita, ex ipſa natura rerum, an ſtatus febris modo delineatus, is ſit, qui flagitet opium, dicam potius, qui id toleret, ſine noxa euidente. Quodſi autem nunc alteri aegro, cui vis vitae et calor debet increſcere, atque in cortice corporis tumor ſurgere, colorque ruber enaſci pallido fugato, cum aliis excitantibus cardiacis, velles praeſcribere cardiacum calidum, opium, non omnino repugnarem. Res ipſa loquitur, conditiones in aegro priore, et poſteriore, e diametro ſibi inuicem ſunt oppoſitae. Opii vis agens ſemper eadem, quae aut coërcet circulum et refrigerat, aut fortius exagitat, et calefacit. Siue hoc afferatur, ſiue illud, alterutri ſaltem aegrorum conuenire poteſt opium; non niſi vni profuturum, alteri nocuturum erit. Cui eorum conueniet, vnice decidendum erit ex obſeruatione ſedula, quid faciat opium in corpore, nec praeter naturam calido, nec frigido, ſi quoad eius ingenium calidum, vel frigidum, diuerſa ſenſerint Medici. Haec

obſer-

obſeruatio abſolute requiritur; non enim ab eorum opinione et hypotheſi, et lubitu, pendent remediorum operationes, ſed ab inſitis horum viribus. Iam, poſtquam ſole meridiano clarius probaui a), vim opii, qua ſanguinem ad caput congerit, deinde exhilarantem, ebrietatem inducentem, ſenſus obtundentem, ſoporem inducentem, inſomnia, et deliria quandoque procreantem, aphrodiſiacam, diaphoreticam, non eſſe effectus retardati circuli, et ſanguinis refrigerati; ſed pendere vnice ab aucto circulo, calore et rarefactione ſanguinis b), a qua parte veritas ſtet, facile clarum et euictum redditur. Igitur vt priori aegro V.S. prodeſt, et poſteriori obeſt, ita et priori nocebit opium, quod alteri poterit prodeſſe, ſi aliis circulum excitantibus videatur addendum. Opii, et V.Snis effectus inter ſe pugnant, quod euidenter et peculiari capite probauit Cl. YOVNG. Neque attinet dicere, V.Sne, vel alia euacuatione praemiſſa, tutius fore opium. Id certo reſpectu eſt verum. At niſi V.Sne, et aliis remediis, febris fuerit

a) *Libro meo de Opio Sect. I.*

b) *de Opio Sect. I.*

rit plenarie deuicta, opium exhibitum praecise illas conditiones iterum excludit, quae antea necessariam faciebant V.Snem, eiusque adeo repetitionem postulabit; ac aeger, qui vna V.Sne poterat iuuari, capto post eam opio, egebit duabus, vel pluribus.

  

Nescio, ILLVSTRISSIME HAËNI, an haec omnia, quae disputaui, Te moueant, an minus, licet, si quid video, mihi valde stringentia et omni exceptione maiora videantur. Saltem in Tua responsione insistis Tuis experientiis, vt ego meis, aliquam eruditionis speciem in his admittis, eius vero ponderis meas adsertiones non esse dicis, vt quae centies videris, falsa esse credas, vtque HARRISIVM, SYDENHAMVM, BOERHAAVIVM, MEADIVM, HVXHAMVM, dum numerosa experimenta tradiderunt, de industria a) mentitos esse, autumaremus. Hic iterum, DILECTISSIME HAËNI, paulo durius mecum loqueris: *Verberet me iustus comiter, et ita castiget me, atque hoc bene-*

a) *pag.* 74. *et* 75.

beneficii loco ducam, et erit capiti meo praestantissimnm vnguentum a). Magno in honore mihi sunt venerabilia haec nomina, longeque a me abest, vt Viros summos, magno Dei dono datos miseris mortalibus aegris, eiusmodi naeuis maculatos, vel somniem. At omnes tamen fuerunt homines, neque fuerunt infallibiles; poterunt ergo omnino errare, si vel sagacissimi fuerint. Sume, VIR AMICISSIME! celeberrimos Inoculatores, quos totus orbis medicus veneratione et existimatione dignos habet, multa protulisse falsa, a veritate maxime aliena, vnicae hypothesi, quam perperam certam habent, superstructa, affectui adscribenda; an diceres, dum Tecum contraria sentiunt, eos omnes de industria mentitos esse? Adeo a BOERHAAVIO Tuo, ipse in aliquibus recessisti, rectiora introspiciens; cur non recederem ab eo, et pluribus aliis, de erronea eorum sententia intime conuictus? Errare autem et mentiri non est vnum idemque. Error est lapsus intellectus, sincerissimo existente animo. Men-

a) *Psalm. CXLI. v. 5.*

Mendacium eſt vitium voluntatis, animo turpiter deprauato. Ab errore cognitio veritatis abeſt; mendacium cognitam et intime ſenſam veritatem ſtudio ſupprimit. Age vero videamus! quid circa variolas ipſi hi Illuſtres Viri, a Te nominati, et circa opii vſum ſenſerint, atque an ſuae ſententiae de eodem, ipſi contraria aliquando docuerint, an minus. Fateor, non ſine ſtupore lego, quae de opio in variolis habet Cl. HARRIS a): *Fatendum eſt, narcotica in tanta inflammatione (loquitur de variolis), copioſius propinata temperamentis robuſtis, quorum pulſus manet fortis, neque illorum vſu diminutus, eſſe nonnunquam neceſſaria, mireque perutilia. Sed in corporibus debilibus, melancholicis, atque in obeſis, vt in perterrefactis, et proxime in hunc morbum a terrore incidentibus, ea opprimere vires, caloremque natiuum ſenſim extinguere. Si in vſu narcoticorum pulſus ex magno fiat paruus, ex forti magis magisque debilis, certe ea ſuſpecta ſunt habenda, aut repudianda.* Liceat mihi ad hunc textum quaedam notata adiicere.

a) *Diſſ. med. chirurg. p. 42-44.*

Clarum

Clarum eſt ex omnibus, celeberrimum HARRIS vim opii circulum accelerantem plane ignorauiſſe, et nunc ab omnibus ſagacioribus Medicis exploſae opinioni inhaeſiſſe, quod hoc pharmacum, ob refrigerantem ſuam indolem, calorem natiuum extinguat. Corporibus robuſtis, et quorum pulſus eſt fortis, vt alia omnia calida, omnium minime opium conueniet. Non ſaltem ab eius vſu manet fortis, ſed adhuc fortior redditur, non antea retardandus, niſi a magnis doſibus, quae deinde vt venenum agere incipiunt, et ad periculum vitae, poſt praegreſſam motus vitalis accelerationem, hominem ducunt; cum venena omnia, etiam calidiſſima, vt opium, ante mortem, WEPFERO a) docente, frigus excitent, vt iam antea aliquoties monui. Et languentem pulſum, et tunc, vt recte HARRIS animaduertit, a narcoticis, pulſu ex magno in paruum, ex forti in debilem abeunte, omnino ea ſuſpecta ſunt; nam ex repetito vſu ſine dubio aeger migrabit ad plures. Corporibus debilibus, licet in iis non minus, quam in fortioribus

a) *de Cicuta aquatica p. 48.*

tioribus, augeant circulum, ob alias caufas, et maxime ob fyntaxin neruorum mollem, et fenfibilem, non nifi fumma circumfpectione exhiberi poffunt opiata. Melancholicis extra febriles motus, animum addunt, et fubinde vere profunt. Obefis nocent, dum molem liquidorum, vafa grauantem, magis expandunt, et in citatiorem motum coniiciunt. Terrefactis, quo recentior terror eft, febre non ab eo excitata, poterunt potius prodeffe, quam nocere, quin et, fi febris fit a folo terrore, indicantur. Nam fi febris ab animi affectibus, poft pharmaca moralia, anodyna et opiata difertis verbis laudat BOERHAAVIUS a). A remedio, quod animum pacat, quod humores ad peripheriam iterum determinat, et diaphorefin promouet, nifi febris ab aliis caufis fuftentetur, quibus terror accefferit, non poteft vllum damnum metui, fi prouido confilio, et non repetitis dofibus exhibeatur, a quibus omnino pulfus febrilis et calor augeretur. Sed vlterius.

a) *Aph.* 605. *No.* 5.

Cel. HARRIS alio loco ſic loquitur a): *Omnes variolae ſunt morbus inflammatorius, et non ſaltem inflammatio vnius partis corporis, vt Pleuritis, Angina, Eryſipelas, etc. ſed ſunt vniuerſalis totius corporis totiusque ſanguinis inflammatio, qualem inter alia teſtantur abſceſſus puſtularum, toto corpore exorti a capite ad calcem.* Quomodo vero cum hac idea morbi concilianda idea actionis remedii genuina? quomodo Cel. HARRIS, qui a calidis cardiacis toties dehortatur, in inflammatione vniuerſali poteſt tolerare et commendare calidiſſimum cardiacum opium? Verum adhuc ad alia. Immediate poſt praecedentia b) ſic pergit: *Precor vos, diligenter expendatis, Viri doctiſſimi, ſi in pleuritide, aut alia quapiam partis corporis ſingularis inſigniore inflammatione adhibeatur vinum aliquod potens, aut potus naturae inebriantis, et quale vinum haberi poſſit, cardiacum fortaſſe innocentiſſimum. Expendatis, inquam, quantum nocumentum et quam flagrans pernicies ex grato illo cardiaco, inſulſe propinato, procul dubio continget in particulari, minus-*

a) pag. 54.

b) pag. 55.

que periculosa inflammatione, et dicatis precor, an fuerit probabile, malum leuius, minoremque perniciem euenire posse, ex conflagrantibus medicinis in vniuersa corporis aut sanguinis totius inflammatione, aegris variolis laborantibus, perperam adhibitis.

Reminiscere ante omnia, DOCTISSIME HAËNI, iam adducti effati *Boerhaauiani*, cum quo consentiunt eruditissimi Medici, quos adduxi a): *Opium parua copia idem facere, quod facit vinum magna copia*; tumque oro Te, hunc textum *Harrisianum* relegas, et *vini*, potusque inebriantis vocabulo, substituas vocem analogi *Opii*. Dicas mihi amabo! Si in particulari inflammatione abstineas ab opio, et alio cardiaco calidissimo insulse propinando, si tunc ab eodem nocumentum et flagrantem perniciem metuas, an probabile, an verum habes, in corpore variolosi hominis, intus et extus inflammato, minorem perniciem euenturam a remedio, cuius dosibus non praegrandibus, vnicuiuis homini sanissimo, febrem,

a) *de Opio Sect. I. p.* 74.

et

et calorem febrilem, et inflammatoriam diathesin procreaturus sum pro lubitu?

Dum obseruationem VII. Cl. HARRIS a), qua variolas et mortem inde natam Serenissimae suae Reginae describit, et deplorat, euoluo, video, ipsum multa loqui de noxa formidabili ex medicamentis impense calidis, Theriaca et Mithridatio, non modo in Therapia infantum, verum et adultorum febricitantium, damnumque omne in variolis, quibus Regina conflictabatur, a Theriaca, ex *Loweri* erronea commendatione, ante egressum earum liberaliter vsurpata, deducere. Egregie simul, quod bene notari velim, animaduertit, *Galenum nusquam in febribus ardentibus, sed ad chronicos saltem morbos eam laudauisse.* Licet vero apparatus potior materiei medicinalis, ex quo conficitur Theriaca, sit acris et calidus, tamen opium in se est impense calidum, et omnibus acribus et calidis aromaticis calidius b), eoque a Theriaca et Mithridatio exulare iusso, vtriusque vis est nulla,

a) *subiunguntur eius libello de morbis acutis infantum.*

b) *vide Thomson diss. de Opio.*

 

nulla, nisi acris et irritans. Quodsi igitur adeo noceat opium, in prima variolarum febre, in qua illud non cum Theriaca, sed et solum abesse volunt omnes amici opiatorum, quomodo conducere poterit in secunda, quae prima saepe est vehementior, semper periculosior, et magis lethifera, atque vere inflammatoria? An si Regina non iam mortua fuisset die 8. opiatus error, primis diebus commissus, 11. die opio dato potuisset corrigi, ipsaque harum variolarum malignitas eo cicurari?



Venio ad SYDENHAMVM. Hic, vocatus ad aegrum cholera laborantem, animamque agentem, cum sudore frigido, *pulsu vix micante*, dedit 25 gt. laud. liquidi, et repetiit post horae dimidium, et porro exhibuit, et dosin auxit, redeunte salute a). Ciuis eius, Humfredus RIDLEY b), eodem morbo laboranti foeminae, non obstante *pulsus debilitate*, Theriacam ad drachmam vnam, et noctu opium ad gr. j sem. post horas qua-

a) *Operum p.* 372.

b) *in Obseru. No.* 23.

quatuor repetendum praeſcripſit. Mane *pulſus erat longe fortior*, licet nocte ſequente iterum dato opio, per interualla ad gr. iij, et forte maiori doſi, ob diarrhoeam, et iacturam liquidorum, et ſudores frigidos inde motos, pulſus iterum deprimeretur. Cel. RAMAZZINI a) aegro dyſenterico, per plures dies omnino *gelido, et ſine pulſu viuenti*, dedit laudanum opiatum ad 3. vel 4. grana. Verebatur ex hypotheſi, ne largior doſis reliquum flammulae vitalis, quae ſupererat, prorſus reſtingueret; ſed aeger larga hac doſi non frigus mortiferum paſſus, ſed *excalefactus* eſt. Iam dum has experientias ſine dubio admittis, VIR MAGNIFICE, conſideres precor, ſi opium pulſum debilem, vix micantem et ad ſenſum nullum, quem per hypotheſin adhuc debiliorem reddere, et prorſus ſiſtere debebat, non magis debilitat, et inhibet penitus, ſed excitat, et fortiorem reddit, vitamque minimam et minutiſſimam, maiorem efficit, atque gelidam mortis imaginem referentem hominem, iterum calefacit, an

a) *Operum in 4to p. 201.*

 poſ-

poſſibile ſit, vt idem opium pulſum refraenare, rapidumque ſanguinis motum et orgaſmum compeſcere queat. Viſum hoc ita eſt SYDENHAMO et aliis, licet ipſe vim calefacientem laudani prae ſyrupo de Meconio introſpexerit, et hunc ea propter illi praetulerit. Certiſſimum haberi debet, populari errore de opii frigore, calido innato aduerſo, eo tempore adhuc regnante, cordatiſſimum Virum abreptum fuiſſe. Hoc praeiudicio deceptus, in variolarum confluentium cura, pro moderamine febris non potuit non narcotica ſuadere, et praelargas eheu! et repetitas doſes ad hunc orgaſmum temperandum neceſſarias ducere, quemadmodum, vbi nitratorum et acidorum parcae doſes non ſufficiunt, ad liberaliores adſcendimus. At cum narcotica affatim data nil tamen iuuarent, eo deduci debuit, vt quaereret remedium efficacius, nimisque ſero in vita ſua ad V.Snem recurreret, ad quam confugere plane non opus erat, ſi magnae doſes opii aeque circulum refraenarent, et refrigerarent, ac V.S.

Acce-

* * *

Accedam nunc propius ad Praeceptorem Tuum, BOERHAAVIVM, quem me non audiuiſſe, et per ſortis meae iniquitatem audire non potuiſſe, dolebo ad extremum vitae halitum. Crede mihi, MERITISSIME HAËNI, lectionem aſſiduam Boerhaauianorum Operum multum in culpa eſſe, quod in haereſin meam de opio, ſi Tibi talis videatur, inciderim. Ita enim is me docuit: *Opium motum animalem minuit, circularem auget* a). *Cardiaca ſunt vinum generoſum, ſpiritus Vini, ſpiritus volatiles aromatici, olea aromatica, et omnia acria ſtimulantia. Huc etiam pertinet opium, et alia circulum augentia* b). *Monitos velim opium exhibere volentes, vt antea perpendant, quod calefaciat* c). Quodſi nunc haec aſſerta BOERHAAVII applicentur ad febrem ſecundam variolarum, ſi ea vera fuerint, vt ſunt, debemus plenarie conuinci, nil minus ab opio expectandum eſſe, quam vt circulum refraenet, caloremque reſtinguat, et refrigeret, quod tamen vnice, in

a) *in Comment. proprio ad aph.* 229.

b) *Tr. de Viribus remediorum.*

c) *in Comment. ad aph.* 610.

eius medela, amici opii volunt. Bene ſcio, eundem BOERHAAVIVM diſertis verbis, in ſtatu, quo febris ſecunda vrget, inter alia, contra enormes impetus, commendare opium a). Quomodo vero hoc conſilium cum praegreſſis eius circa opium dogmatibus conciliari debeat, me curatisſime, et haec, et illud expendentem, plane fugere, vltro profiteor. Quae praecepta eius num generalia, ad morbos omnes curandos ſcitu neceſſaria, quae tradit, an ſpecialia, ſolas variolas ſpectantia, ſequi debeam, doceas me, EXCELLENTISSIME HAËNI! Nonne apertum eſt, Virum ſummum, aut in his aut in illis, aliquid humani paſſum eſſe? Si impetus enormis motuum, quem coërcendum vult, concerneret genus neruoſum ſolum, ſine calore et orgaſmo ſanguinis; ſi adeſſet ſine hoc inſignis ſpirituum ataxia, cui SYDENHAM praecipue opium deſtinat; ſi acrimonia variolosa crearet conuulſiones ſine febre; ſi dolor, cuius enormitati etiam SYDENHAM b) ſpecifice opium inſeruire ſcribit, non

a) *Aph.* 1402.

b) *pag.* 373.

non foret inflammatorius, tunc ipſe ad vnicum opium, tanquam ad ſacram anchoram recurrerem. Verum ad coërcendum impetum ſanguinis febrilem, ad eius turgorem, et orgaſmum conſopiendum, ad calorem refrigerandum, ſalua auctoritate BOERHAAVII, quae mihi coeteroquin ſumma eſt, nunquam opium exhibere audebo. Sine dubio *Vir eximius* ſimpliciter ſecutus eſt SYDENHAMVM, quem in variolis curandis primum ducem laudauit, ſine iuſta conſideratione naturae ipſius opii, quae coeteroquin nimis ipſi nota erat.

  

Pergo ad MEADIVM, amicum opii in variolis, permiſſionemque tuam efflagito, IVDICIOSISSIME HAËNI, vt caſum, quem ille, coronidem ſuis praeceptis impoſiturus, ſuppeditat a), accurate pauloque fuſius contempler. Variolae erant exiguae, quibus totum corpus conſpergebatur, miſſus erat ſanguis, die eruptionis 4. ob delirium datus erat Syr. de Meconio ad drachm. vj. qui vero nihil

a) *Cap. III.*

prorſus valebat. Quinto die delirium non remittebat, calor erat intenſior, pulſus celerior, iterum ergo mittebatur ſanguis, et cum aliis dabatur diacodium. Die 7 prorſus eadem rerum conditio, ſpiritus erat difficilis, hinc confectio Fracaſtorii, potentior ſyrupo diacodii, vocabatur in vſum, et gummi ammoniacum, hauſtus iterum paregoricus. Octauo die acutiſſimus capitis dolor, ſpiritus difficilior, pulſus languidior, in cuius cauſam non inquiram, cum a diaſcordio, vel ſi hoc negetur, ſaltem a gummi ammoniaco celerior eſſe debuiſſet. Forte aucta diaphoreſis et iactura liquidorum languorem pulſus poſt ſe reliquit. Pulſu nunc languido, ſine ſuppurationis ſignis, quid egit MEAD, admouit veſicatoria, dedit mithridatium ad drachm. ſem. et ſalem volatilem ſuccini, ad ſcrupulum dimidium, ſexta quauis hora, et recte quidem, ſi quid iudicare valeo. Die 10. et 11. cum in peius ruerent omnia, et vires adhuc magis languerent, adiuncta remediis cardiacis, iam deſcriptis, confectio Raleighana. Nunc haec omnia

con-

confideremus accuratius! Data fuit opiata confectio Fracaftorii durante delirio, calore intenfiore, pulfu celeriore, vique adeo vitae verfus extrema excedente, et V.Sne indicata, ac inftituta. Datum vero etiam opiatum Mithridatium, pulfu exiftente debili, et vi vitae verfus extrema deficiente, et V.Sne non licita. An vtrumque meretur imitationem? Qualis vero tandem rerum exitus? Omnibus conclamatis, quafi Dea ex machina in auxilium feftinauit benefica matura, fibi ipfi vias inueniens, fecundum HIPPOCRATEM, et foetidiffimi humoris e faucibus profluuio aegrum in vado collocauit. Illuftre documentum fic proftare MEADIVS dicit, illa directrice, follicite femper venenatam morbi materiam, quouis modo, e corpore foras propelli. Vereor autem ego, ne aliquando ipfi habenas iniiciat opium, faliuationem infpiffatis humoribus fupprimendo, aut faltem minuendo, ventrem obftruendo, ac glandularum inteftinalium ptyalifmum cohibendo. Vnum adhuc memorare liceat. De prima febre fcri-

bit

a) Cap. III. p. 33. edit. Gœtting.

bit MEAD a), *ſi eius vehementia delirium fecerit, anodyna illud plerumque in peius vertere.* An ergo, ſi in febre ſecunda eius vehementia delirium minetur, vel adeſſe faciat, anodyna illud praeuertent, et auertent? Vix crediderim.

  

b) p. 3. 4. 5.

Reſtat adhuc HVXHAM. Aureae ſane ſunt regulae, quas ipſe ſuppeditat, de differentia febrium variolis ſociatarum b). Monet ſcilicet, primam eſſe modo inflammatoriam omni nota, cum pulſu duro, pleno, reſpiratione difficili, et calida, calore corporis ingente, ſiti magna, vrina flammea; modo neruoſam, malignam, putridam, cum pulſu debili, viribus proſtratis, pallore faciei, vrina cruda, calore et ſiti nullis. Hinc peccare illos aſſerit, qui vel calidam, vel frigefacientem methodum ſine diſcrimine collaudant; modo enim aegros *Mortoniana*, modo *Sydenhamiana*, tractari debere. Vt vero primam febrem a ſe inuicem diſcrepare monuerat, ita quoque ſecundam inter ſe

dif-

differre dicit, ac diuerſam methodum proponit a). Si enim vere ſit inflammatoria, cum pulſu celeri, duro, et forti; cum reſpiratione difficili et anxia; cum calore magno; cum cephalalgia ingente; et delirio vel leuiore vel grauiore; maxime neceſſariam eſſe V.Snem, ait. Si vero pulſus debilis, aeger languidus, in lipothymias procliuis, variolae cum interſtitiis pallidae, depreſſae, rugoſae, liuidae, et extrema frigida, cum vſu veſicatoriorum, non ſatis cardiacorum exhiberi poſſe, vinumque calefactum ſtupenda his in caſibus praeſtare, dicit. Qualia vero cardiaca, praeter vinum, ab eo laudantur b)? In eiusmodi mali moris variolis, quae pulſum debilem cum vrina aquoſa, et viribus proſtratis ſibi iunctum habent, requiri calefacientia, notat, pulueremque contrayeruae compoſitum, myrrham, moſchum, crocum, camphoram, theriacam, mithridatium, vinum Canarinum, extollit, et remedia opiata, tincturam thebaicam, elixir paregoricum, ſyrupum diacodii, non minus in hiſce caſibus neceſſaria eſſe,

a) p. 52. 53.

b) p. 37.

esse, iniungit. Monstrat igitur quasi intento digito HVXHAMVS, non saltem in qua specie febris opium locum habeat, sed et in quem catalogum remediorum referendum sit, et quae sint socia pharmaca, cum quibus simul possit, et debeat exhiberi. Nunc vero non amplius sollicitus sum, an HVXHAMVS etiam in altera febre secunda, quae prorsus alius indolis est, et huic malignae et diametro opposita, opium exhibuerit, an minus? Mihi sufficit, impossibile esse per rerum naturam, vt prosit in vtraque febris specie; nam sic contraria virtute vnum remedium deberet instructum esse, et pro intentione et lubitu Medici circulum modo intendere, modo refraenare posse. Si opium ex ipsa HVXHAMI sententia inserendum est cardiacorum calidorum catalogo, tum, quando hoc locum habet, semper etiam locum habere debent analoga pharmaca, puluis serpentariae, camphora, myrrha, moschus, vinum, etc. Quicunque igitur laudat opium in febre secunda inflammatoria, aut male se egisse probare debet,

debet, quod inter calida cardiaca retulerit, aut concedere, omnem calidum apparatum ſimul adhiberi poſſe. Si hunc repudiet, repudiet etiam opium neceſſum erit. Non video, quid iuſtiſſimae huic argumentationi queat opponi. Penes Te ſit, SAPIENTISSIME HAËNI, determinare, num vitioſa ſit, num minus. Forte quemadmodum SYDENHAM, ita et HVXHAM, per nebulas agnouit vim opii calefacientem; namque poſtquam, diacodium inſufficiens eſſe remedium, aſſeruerat a), et ita agnouerat, neutiquam illud pari paſſu ambulare cum opio, licet id celeberrimis Viris multis ita videatur, ſi aeger ingenti calore febrili laborauerit, opiatum cum vehiculo acido aut nitrato exhibendum conſulit. Verum et hac cautela adhibita, niſi acida, quae opii vim caſtrant, ea quantitate adiiciantur, vt penitus illam eneruent, ſupererit adhuc vis opii agens, febri inflammatoriae haud conueniens, vbi antidoto acido prorſus extinguatur, tum demum non nocutura; ſed hoc caſu poſito, idem erit, ac ſi opium plane aeger haud aſſum-

a) p. 51. 52.

ſumſiſſet. Operae adhuc pretium eſt, vt hic commemorem variolas epidemicas anomalas, quas graſſantes ab anno 1724 ad 1735. diſſertatione breui deſcripſit, quae inter eius opuſcula varia habetur. In ea ad febrem ſecundariam mitigandam et tollendam, poſt ſanguinis miſſionem, ſi indicetur, omnia tribuit mitioribus catharticis, et eorum vſum 10. 11. 12. et 13. die methodum generalem vtiliſſimam conſtituiſſe, dicit. Laudat deinde Freindium, atque denuo purgantia multis. De opio altum ſilentium, niſi apud hominem, qui colica violenta cum variolis laborabat.

* *
*

Non ſicco pede praeterire poſſum Ill. GAVBII, quem veneror, et amo, exemplum, quod, vt mihi contrarians, mihi conſiderandum proponis a), CELEBERRIME HAËNI. Dedit varioloſo ſuo inoculato, fere ſtrangulato, fereque mortuo, opium ideo, vt calores, et inquietudines moderaretur, ad morbi finem vſque. Si ſtrangulatio haec fuit ſpaſmodico - conuulſiua, tunc

a) pag. 74.

tunc admitto et laudo opium. Verum in variolis malignis gangraenosis, quales GAVBIVS sanandas nactus est, non possum aliam strangulationem imaginari, quam quae oritur a saliua et muco et isthmo faucium inspissato, aut ab angina inflammatoria, et diathesi peripneumonica. In priori specie, vt in antecedentibus monui, Viri summi, non obstante eorum consilio, de dando opio in curatione variolarum, tamen abstinendum ab eo esse praecipiunt; in posteriore nemo, genium inflammationis cognitum habens, facile id exhibuerit. Deinde si aeger fere mortuus habuit pulsum vix micantem, faciesque semi-mortui pependerit a defectu circulationis, tum calida cardiaca exhibenda fuerunt, ad quorum catalogum opium spectat. Quomodo vero caloribus moderandis inseruire queat opium, me prorsus fugit; mea quippe sententia aeque certo calores moderatur, ac oleum camino additum ignem extinguit. Inquietudinem, quia haec calorem sibi iunctum habuit, non aliam concipio,

quam anxietatem inflammatoriam, in hac vero ſananda nec apud BOERHAAVIVM a), nec apud Ill. eius commentatorem opium commendari video. Toties in mea praxi, datum a collegis paulo liberalius opium, ſolo dolores mitigandi fine, ſummos calores et inſignes anxietates excluſiſſe, horrens vidi, non aliter ceſſantes, niſi, miſſo opio, acida, nitrum, vel et V.S. in ſubſidium vocarentur. Tu ſine dubio, EXCELLENTISSIME HAËNI, inſiſtis fideli hiſtoriae Gaubianae, quam dum penſito, naturae bonitatem laudo, cuius beneficio aeger euaſit, aut alia pharmaca, quae deleteriam vim opii correxerunt. Si mea contranitens experientia Te non afficit, permitte, vt a Clariſſimo TISSOTO, qui ponderoſiſſimis argumentis opii vſum in febre ſecunda variolarum deſtruit, conſignatum caſum, Tibi ob oculos ponam. *Nunquam*, inquit, *in periculoſa ſecundaria febre, plures autem et grauiſſimas vidi, quoties ſolus fui, narcotica adhibui, et ſancte affirmo, nulli aegro aeternum valedixi. Saepiſſime vocatus ad*

a) Aph. 463.

aegros

aegros, qui malo consilio diacodium largiori dosi adhibuerant, nec sat refrigerante medela illius noxas impediuerant, pessimos dolui effectus, quos aliquoties superare concessit benignum numen, vsu purgantium et acidorum, aliquoties sera medicina cassa fuit. Vere anni 1754. accersitus ad nobilem quinquagenarium, qui 7 morbi die narcotica, suasu duorum Medicorum, assumserat. Anginam inueni, deglutionem impedientem. Frustra suasi V.Snem, sed tamen ex meo consilio narcotica omittebantur. Plura applicabantur enemata, nona die ad narcotica confugitur, occluduntur fauces post 2. dosin. Decima delirat, nilque deglutit, V.Sne repudiata, enematibus applicatis et missis narcoticis, post aliquot horas bibere potuit. At diacodium potui admiscebatur, accedit anxietas, increscit delirium, denuo obstruitur pharynx. Duodecima lethargus, tunduntur venae brachii, et pedis, sed sero, opponuntur cantharides, me renuente, noctu stertor, mors. Non raro ego in acutis vidi similia, quae modeste reticeo. Iam peto a Te, EXPERIENTIS-



SIME HAËNI! ſoluas mihi hanc quaeſtionem, ſagacior et perſpicacior. Noſti, quam multis Medicis longe remotus fuerit BOERHAAVIVS, vt in inflammatoria angina, pleuritide, peripneumonia, opium vnquam commendauerit. An ſi hi morbi accedant, vt ſymptomata, febri ſecundae variolarum, per ſuam eſſentiam inflammatoriae, vt toties vere accedunt, aliud ingenium induunt, minus phlogiſticum? Quaeſo Te, cur, ſi opium vere moderetur pulſus celeritatem, et calorem inde natum, cur non id damus in omnibus aliis febribus acutis, et inflammatoriis, cum nitro, acidis, ſyrupis ſaponaceis, eo fine adhibitis? cur non iungitur vbique apparatui remediorum antiphlogiſticorum, ſi aeque iuuet retardando motum circulatorium, et refrigerando, vt V.S. nitrum, acida? Rationem omiſſionis a Te cognoſcere auerem.



Omnium lubentiſſime facerem cum Illuſtriſſimo *van* SWIETEN, cui equidem

quae

quae mens ſit circa opii vſum in variolis, adhuc ignoro. Duas interim, dum in exaſciatiſſima et paucis bene multa complectente inſtructione, de morbis caſtrenſibus, de febribus continuis tractat, continuarum ſpecies ſiſtit, vnam cum pulſu duro, pleno, et calore ingente, ſanguine phlogiſtico, omnibusque notis diſpoſitionis inflammatoriae vniuerſalis, alteram a reſolutione ſanguinis in liquamen putridum, cum pulſu naturali, aut potius debili, viribusque proſtratis. Anne ad has duas claſſes reuocari poterunt febres ſecundae variolarum, an ad aliam febrium referendae erunt? quod vix exiſtimauerim. An omnia ſymptomata febris ſecundae varioloſae alia ſunt, quam acutarum benignioris et malignae indolis? Sed tamen in neutra ſpecie Ill. *van* SWIETEN laudauit opiata, in prima cum V.Snibus, ſi opus, repetitis, methodum antiphlogiſticam, in ſecunda, ſaltem excepto paregorico, poſt datum in principio principii emeticum, ſerum lactis vinoſum, radices ſerpenta-

riae, contrayeruae, chinam, camphoram, acetum commendauit. Anne vtraque haec methodus vnice conuenit febribus secundis variolarum, nulloque additamento alio indiget? Crediderim ego, cum potu multo, et clysmatibus, quae adiungit, eam plenarie sufficere. Non mihi placet opium etiam in malignis, in quibus tamen vnice admitti potest, tanquam cardiacum, quia vitiis suis laborat, quae ab aliis cardiacis absunt. Deiicit vires animales iam languentes, turbat cerebrum, quod iam turbatum est, torpore sensuum, capitis grauitate, sopore, delirio, testibus, neque est antisepticum, vt alia a SWIETENIO laudata, sed alcalescentiam sua natura iuuat; namque in iuuene, a drachma vna post 15 horas ab assumtione necato, tumores liuidi brachia et femora cadaueris deturpabant, cum foetore intolerabili a); igitur ex hoc capite non conuenit malignitati variolarum coërcendae, vt doctis coeteroquin Viris visum est. Si dolores et inquietudines adhibitionem flagitare videantur, indoles

a) *Memoires de l'Academie des Sciences l'An 1735. p. 6.*

doles febris ſecundae, ſiue haec ſit, ſiue illa, per hactenus expoſita contraindicat. In genere debilibus ſubiectis in omnibus morbis opium caute dandum, ſique probe attendatur ad ea, quae monet Tuus, CELEBERRIME HAËNI, *Gualterus Harris* a), multis certe aegris variolis laborantibus non conueniet. Poſtquam narcotica in genere in hoc morbo laudauit, ita pergit: *Medici prudentis iudicium in nulla re magis, quam in narcoticis recte vel ſecus vſurpandis, ſpectatur. Cautiones commodae de illorum vſu tutiore, quotcunque fuerint, nunquam contemnendae; ſed regulae omnes ſtabiles ac generales, indiſcriminatim reſpicientes vtrumque ſexum, varias aetates, variaque temperamenta, ſunt perquam incertae et periculoſae; ſane multae ſunt foeminae, quibus tantilla narcoticorum doſis minime conuenit, et plane noxia eſt, quibus illa vigilias excitant, ſomnum fugant, et mentem turbant. Idem etiam nonnunquam de iuuenibus et viris perinde, ac pueris et ſenibus, dicendum eſt. Valent enim in omnibus idioſyncra-*

a) *Diſſ. med. chir.* p. 42. 44. *vide et inter eius obſeruationes octauam.*

ſiae, quae non explorantur, niſi cura adhibita, et obſeruatione. Prorſus talia, circa vſum opiatorum probe tenenda, inculcant KIRKPATRIK a) et HVXHAM b). Hic ea quidem laudat in variolis, minutis et circumſpectis doſibus, (vbi vtique minus nocent,) ſed concedit vltro, generoſiores eſſe nocentiſſimas, deliria, ſopores, virium debilitatem poſt ſe relinquentes. Anne autem cum vehemente febre, his malis iam praeſentibus, minutae conſiderandae ſunt, vt maiores? Neque diffitetur dari, inter opiata et liquores ſpirituoſos inebriantes, analogiam. Addit, non praeuideri poſſe, quae futura ſit operatio opii; dari perſonas, quibus minuta doſis per idioſyncraſiam magnos effectus edat, quique ſyrupum diacodii bene ferant, male vero habeant ab opio. (En iterum virium inter vtrumque remedium differentiam!)

a) *Sect. III. p. 116. 117. ſeq.*
b) *p. 38. 39.*

Nunc autem, EGREGIE HAËNI, cogites c), omnia quae hactenus expoſui trutinans,

c) *vide p. 75. reſponſionis ad meam epiſtolam.*

tinans, an veritates a me demonſtratae de opio, quae vix dubium vllum poſt ſe relinquere poſſunt, arbitrariae ſint, et pro lubitu a me aſſertae? an metuendum mihi ſit, ne tempori cedant? an dum alia opinionum commenta dies delebit, meae ſententiae, inconcuſſis fundamentis nixae, idem fatum immineat. Vix dolebo vnquam, me tempus irreuocabile vtili valde inquiſitioni, quae de actione opii, vel vera, vel falſa ſint, dicatum, inaniter triuiſſe. Agitur enim hic de ſalute, et vita humana, quae vult, vt generoſorum remediorum vires exacte, et vere cognitas habeat Medicus, fictionibusque ſuis non indulgeat. Vix repudiatis hypotheſibus deſeram principia ſolida, quae ſola monſtrant, qui aegri opio ſeruari queant, qui deſiderati moeſtos redderent ſuos Medicos, ſi, agnita inſecura methodo, veram et ſecuram amplecterentur.

* * *

Ducit me tandem dicendorum ordo ad Tuas querelas a), quas, poſita duritie,

a) p. 75. ſeq.

 ami-

amiciſſimo iterum et humaniſſimo corde profers, quod teſtimonium Cel. COLLIN, de cardiacis calidis ſtimulantibus, in Praxi Viennenſi, niſi vi vitae exiſtente debili, non amplius vſitatis, Tibi, qui infortunatae methodo et regimini calidis, tot mala tribueras, oppoſuerim. Aequiſſimum me hic vocas, et non abs re, cum hoc elogium mereri et tueri, per omnem vitam ſtudioſe allaborauerim. Verum iniquiſſimum fuiſſet, ſi in aliquo argumento practico, diuturnas experientias ſupponente, Tuam, EXPERIENTISSIMI MEDICI, Archiatri, Profeſſoris primarii, Practici veterani, auctoritatem poſtpoſuiſſem *Viri* coeteroquin *doctiſſimi*, tamen in Praxi nondum per annos verſati, Tuique olim diſcipuli, aſſertis. At id nihilominus ſaluo honore Tuo, in quem nunquam peccaturus ſum; ab eo expectare poteram, ſi vel adhuc Canditatus Medicinae foret, quod ſcire poſſet, Viennae degens, et noſcomia frequentans, Medicinamque faciens; an calida ibidem methodus adhuc

regna-

regnaret, an minus. Ego vel depoſito pretio certare auſus eſſem, quod et *L. B. van* SWIETEN, et Tua, in tanta celebritate verſantium opera, diu illa exoleuiſſet. Iam teſtimonium omni exceptione maius, quod contrarium probat, proh dolor! ſtupens lego. Dubitare de iis, quae Medicus Hiſtoricus enarras, mihi religioni ducerem, aliterque nunc credam, a Te monitus, et Magnifici KESTLERI notatis alia edoctus, quaeque de quibusdam ignorantibus Medicis, et fungis cerebrinis, et regnante adhuc endemio errore habet, mirari haud deſinam. Aliter nos Vratislauiae, pene omnes Medici, vix vno aut altero excepto, diu egimus, vt in febribus acutis omnibus, ita ſpeciatim in variolis, HELWIGIO teſte a), quem alibi iam citaui. Saepe tamen ſumus in medendo infelices, forte quia impoſſibile eſt, praeiudicia mulierculararum circa regimen calidum euertere, atque quia non raro tum demum vocamur, quando variolae iam ante fores ſunt, quod toties cum Colle-

a) *Hiſt. Morb. Vratisl.*

Collegis meis dolui. Datur vero variolosa malitia, omnibus remediis, et optimo regimine haud superabilis. Perinde vero est, siue calida sint pharmaca, siue regimen tale fuerit. Duplicatus error tanto damnosior. Coeterum non facile negabis, VIR EXIMIE! fere soli regimini et remediis calidis hactenus Te exanthemata purpuracea, et petechias tribuisse. Vt enim alia loca taceam, Rat. med. Part. V. C. 1. expressis verbis dicis, ea plane symptomatica esse, rariusque obseruari, si legitima curandi methodus adhibeatur, sique contingant, prauae potius medicationi, quam aëri aut climati, ea originem debere, idque adeo sedecim historiis adiectis, comprobare conatus es. Neque aliter sentis Tom. VIII. a), audacter adhuc statuens, exanthematum pleraque, ac fere omnia, symptomatica esse et factitia, alexipharmaca et crocata in vrbe Viennensi et suburbiis adhuc in vsu esse, memorans b). Atque quamuis his remediis, vt causae, alias addas, aërem puta calidum con-

a) p. 108.

b) p. 120.

conclauis; vanum metum aegros lectulo interdum eximendi; omissionem V.Snum, ex defectu distinctionis inter veram et imaginariam debilitatem; magnum numerum aegrorum in eodem conclaui detentorum, et suis exhalationibus atmosphaeram inquinantium; et spontaneam degenerationem humorum in acutis, hae omnes fere ad methodum calidam referri possunt. Hanc latius sumtam multoties procreare exanthemata, quae alioquin non euenissent, sum conuictissimus, nique Tibi graue sit, VIR EXCELLENTISSIME, euoluere in *Examine meo rigoroso remediorum terrestrium* caput, quo de exanthematibus egi, ante multos annos mihi hanc mentem fuisse, intelliges. Pulchre idem ipsum deinde etiam docuit Ill. Academ. Nat. Cur. Praeses de BÜCHNER, in doctissima Diss. *de abusu diaphoreticorum, causa exanthematum.* Non minus certus sum, calefacientibus pharmacis et regi-

regimine, ex variolis, quae benigniores futurae erant, confluentes et anomalas non raro effici, SYDENHAMIIque assertis, et propria obseruatione attenta methodorum, extra vrbem potissimum, et in minoribus vrbibus vicinis vsitatarum, a rationali abhorrentium, tristem hanc veritatem diu didici. Attamen dari variolas pessimas, in quarum medela nullum peccatum ex iis, quae Tu merito damnasti, commissum fuit, longa non minus attentione per 32 annos conuictus fui. An milium et petechiae, crebri effectus malae methodi, optima quauis certo auerti queant? an haec exanthemata fere semper sint symptomatica et factitia, morbumque singularem haud constituentia, neque facile vnquam critica? licet peculiari studio legerim Rat. med. Tom. VIII. et quae de milio ante aliquod tempus publici iuris fecit Cl. COLLIN, et nunc epistolam Cl. *Matthaei* COLLIN ad *Baldingerum*, in-

quirere

quirere nolo, nec quae ipſe expertus norim, adiicere, cum ad meum argumentum proprie haud ſpectent.

Finio potius, gratiam DEI, a qua ſola vitae meae duratio pendet, deuotiſſima mente veneratus, ſcriptionem meam, ne Tibi grauis ſim, arduis negotiis detento. Optarem autem nunc valde, vt amplius controuerſiae de Inoculatione haud immiſcerer, cum infirma et cauſaria mea valetudo, quae meo taedio emendatiorem hunc laborem non eſſe ſiuit, atque alia, quae mihi nihilominus Practico Medico incumbunt, vires meas corporis animique ſuperantia negotia, me impediant, quo minus dubiis, forte mihi porro hinc inde adhuc mouendis, reſpondere queam. Tu, CELEBERRIME HAËNI, ſi velim, me Te amare, et in meis Te me habere iubes. Quodſi me aeſtimationi iuſtae magnorum Tuorum meri-

torum



torum haud imparem habeas, credas etiam, obſecro, quod Te non amare et non venerari, et dum eruditiſſima Tua ſcripta toties voluo, Tui non ſaepius reminiſci, Tibique omnia, vitam quae faciunt beatiorem, medullitus non apprecari nequeam. Vale et me redama. Scribebam Vratisl. die XXIV. Iun. MDCCLXIV.

